FROM
THE LIBRARY
OF
JOHN WILLIAMS
WHITE

A GIFT TO
HARVARD COLLEGE
LIBRARY

DE

ARISTOPHANIS ACHARNENSIBUS

DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

AUCTORITATE AMPLISSIMI ORDINIS HISTORICO-PHILOLOGICI

IN

CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE CASANENSI,

AD GRADUM

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

ATQUE

PHILOLOGIAE CLASSICAE

RITE OBTINENDUM,

publice defendit,

SCRIPSIT

A. ALCUINUS SCHARBE,

PHILOL. CLASS. MAG., GYMNASII II CASANENSIS PRAECEPTOR.

1851.

Подар. Н. Н. Буличем
2го Марта 1877 года

DE

ARISTOPHANIS ACHARNENSIBUS

DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

AUCTORITATE AMPLISSIMI ORDINIS HISTORICO-PHILOLOGICI

IN

CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE CASANENSI,

AD GRADUM

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

ATQUE

PHILOLOGIAE CLASSICAE

RITE OBTINENDUM,

publice defensurus,

SCRIPSIT

A. ALCUINUS SCHARBE,

PHILOL. CLASS. MAG., GYMNASII II CASANENSIS PRAECEPTOR.

CASANI.

TYPIS UNIVERSITATIS CAESAREAE.

1851.

На основаніи § 45 Высочайше утвержденнаго въ 6 день Апрѣля 1844 г. Положенія о производствѣ въ ученыя степени и по постановленію Историко-Филологическаго Факультета Императорскаго Казанскаго Университета 5-го Декабря 1850 г. ст. I., печатать дозволяется съ тѣмъ, чтобы по отпечатаніи представлено было какъ въ Ценсурный Комитетъ, такъ и въ Совѣтъ Университета опредѣленное число экземпляровъ. Казань, 12 Февраля 1851 года. — Деканъ Историко-Филологическаго Факультета Императорскаго Казанскаго Университета Карлъ Фойгтъ.

PROOEMIUM.

Dionysio tyranno, qui cuperet Atheniensium rempublicam cognoscere, misit Plato Aristophanis comoedias, admonens, bene cognitam habiturum esse eorum civitatem, qui illius dramata intelligeret [1]). Ego, quocunque numero sum, cum in votis haberem vitam atticam perspicere, Aristophanem et quidem ejus Acharnenses pervolutavi. Nam non raro, potius in quaque doctrina, quae sunt historia, antiquitates, literatura et philosophia, occurrunt res haustae ex illo, ejusque auctoritatem prae se ferentes. Imo fons iste est uberrimus, ex quo nobis quaerentibus manant permulta memorabilia, ac supplementum est neque exiguum neque spernendum, quod nobis explicet quum judicia tum comitia, tam res gestas, quam privatas, et viros et tempus et mores.

Nostra vero aetas, quae prioribus est multo superior, atque ad digniorem scientiae gradum adspirat, non acquiescit historia, qualis erat maximam partem antiqua annalium confectio, quum memoriae publicae retinendae causa res omnes singulorum annorum mandabant literis, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum

1) Vita Arist. Anonymi «καὶ συμβουλεῦσαι τὰ δράματα αὐτοῦ ἀσκηθέντα μαθεῖν αὐτῶν τὴν πολιτείαν».

reliquerunt, qui non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt [1]; sed historiam desiderat, quae, ut Cicero ait [2]), quum sit testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendetur. Verbo - vanum esset nostra aetate studium, quod rerum gestarum acervum non nisi memoriae imprimeret, atque eo ipso esset contentum; ex contrario nostrum est ex illo acervo informi aedem exstruere, qua singula e legibus criticae artis conjungantur, totus civitatum status animo perspiciatur et hinc exoriatur vitae magistra philosophia. Exstiterunt quidem apud Graecos praeter Pherecydem, Hellanicum, Acusilaum similesque Herodotus historiae princeps, Thucydides, qui omnes dicendi artificio facile vicit et a philosophia Socratica profectus Xenophon, sed iis nondum satiatus, nec omnes satis habens consulo illi tempori, quod Graeciae flos et primus gradus corruptionis dicitur, comoediam quoque adhibere et prae aliis Aristophanis — ἡ γάρ τοι κωμῳδία αὐτὴ τὸ γελοῖον προστησαμένη φιλοσοφεῖ [3]). — Aristophanes ist das gemeinsame Band, welches alle jene Seiten zusammenhält, und die auseinander geworfenen Glieder zum Leben wieder herstellt, worin alle durch die eine, sie durchströmende Idee gehalten werden und alle Härten zu sanften Umgränzungen sich gestalten [4]) Hic autem est impedimentum non facile remotu, hicce occurrit quaestio gravis, qualis quantaque rerum traditarum comico sit fides habenda. Duae enim mea

---

1) Cic. de Orat. II, 12, 51. — 2) Cic. de Orat. II, 9, 36.
3) Dion. Halic. ars rhet. p. 302. — 4) Aristophanes und sein Zeitalter von H. Theod. Rötscher. Berlin 1827, p. 17.

sententia existunt causae, quibus ejus fides debilitetur atque historicâ fiat inferior. Prior, quod e bono consilio se opponit vitiis tum praesentibus, atque omnia, quae vituperat, ut mala futura avertat, vera fictaque commiscens reddit ridicula; altera, quod poëta divino spiritu inflatus res humanas supervolat, nam φανερὸν, inquit Aristoteles, ὅτι οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστίν· ἀλλ᾽ οἷα ἂν γένοιτο καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον [1]).

Obrussam hujus argumenti ex Aristophanis undecim comoediis, quae nunc integrae exstant, elegi mihi Acharnenses, qua in fabula, fidei ratione, quaestiones instituam criticas de personis, moribus, narratisque rebus. Nam haud dubito, quin perspectis personarum indole, temporis ingenio statuque recondito non parvulum afferatur supplementum auxiliumque literarum historiae et rerum cognitioni.

Praemittam, liceat, illi argumento duas quaestiones — alteram de auctore, alteram de tempore — non solummodo necessarias totius fabulae nexum intellecturis, sed quoniam eae quoque ad eundem finem, quem mihi proposui, fidei causam spectant.

Haec si mecum censetis, a Vobis quaeso et peto, Illustres Iudices, ut aures detis benignas meis elucubrationibus et rei Vestra severitate dignae, nec Vobis, quemadmodum suspicor, unquam ingratae.

1) Ars Poët. 9.

DE AUCTORE.

Nibil causae est dubitare, quin Aristophanes Acharnensium fabulae sit auctor, atque Callistratus eam docuerit, nam haec evidenter probantur grammaticorum testimoniis adhuc servatis. Inspiciens enim in fabulae argumentum inveneris «ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυδήμου ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου· καὶ πρῶτος ἦν (sc. Aristophanes)» [1], vel si tibi forte ad manum Suidae est lexicon, legeris s. v. Ἀριστοφάνης «ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα, ταῦτα· Ἀχαρνεῖς, Βάτραχοι etc.». Insuper pii illi grammatici omnem nobis dubitationem ademerunt de causa, qua auctor motus fabulas suas διὰ Καλλιστράτου et διὰ Φιλωνίδου διδαχθῆναι jusserit, «εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχὴν ἄλλως τε καὶ εὐφυὴς τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα» [2], id quod ansam praebuit, ut eum riderent Aristonymus et Amipsias τετράδι λέγοντες γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἄλλοις πονοῦντα, ipseque prorsus fatetur in Nubium parabasi v. 528 — 31 se virginem, quam nondum licuerit parere, foetum exposuisse, quem ab alia quadam puella sublatum, Athenienses liberaliter educarint et instituerint.

---

1) Vide praeterea Scholia in Ach. v. 654 inferius citata.

2) Incerti auctoris Ἀριστ. βίος.

«Ἐξ ὅτου γὰρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὼ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,
κἀγὼ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦ, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο,
ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε·

Atque hac ratione apertissime comparat suam, quae in aliorum ventres ingressa satis ridiculi effuderit, vocem, cum prophetico Euryclis ventriloqui vaticinio. Vesp. 1019

μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασ-
θαι.

Ante Ἱππεῖς, quam praecedebant Daetalenses, Babylonii et Acharnenses, ipse sibi chorum ab archonte postulare non est ausus, sed suas fabulas ob causam, quam supra dixi, Callistrato et Philonidi docendas tradidit, ut clare apparet e scholiis in Vesp. v. 1018 «πρῶτον γὰρ δρᾶμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἱππέας» et e schol. in Nub. v. 530 «ἀπὸ δὲ τῶν Ἱππέων ἤρξατο δι' ἑαυτοῦ εἰσιέναι». Rationem, quam Bode [1]), legens in Ar. Equitibus v. 542:

ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπι-
χειρεῖν
κᾆτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι,
κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ.

ad causam supplendam addidit, quasi Aristophanes in Daetalensibus χορευτής, deinde in Babyloniis τριταγωνιστής, tum

1) Geschichte der dramatischen Dichtkunst. Th. II, p. 226.

δευτεραγωνιστὴς in Acharnensibus, *πρωταγωνιστής* denique in Equitibus ipse egerit, ingeniose quidem collatam, documentis autem carentem invenio.

Illorum virorum ope Aristophanes etiam post Equites plus semel in fabulis docendis utebatur; haud enim raro factum esse videtur, ut celebriores poëtae, quo majorem gloriam adipiscerentur, et ne ab archonte impedirentur, quominus pluribus simul comoediis certaturi prodirent, aliis poëtis inferioribus suas fabulas docendas committerent. Compertum etiam e grammaticorum excerptis habemus, qua lege Aristophanes inter ambos suas comoedias distribuerit, *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ (τῷ Καλλιστράτῳ) φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ᾽ Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ*. Ne horum verborum fidem subvertant, quae in Aristophanis vita leguntur: *ὑποκριταὶ Ἀριστοφάνους Καλλίστρατος καὶ Φιλωνίδης, δι᾽ ὧν ἐδιδάσκει τὰ δράματα ἑαυτοῦ, διὰ μὲν Φιλωνίδου τὰ δημοτικὰ, διὰ δὲ Καλλιστράτου τὰ ἰδιωτικά*. Nam hoc testimonium priori repugnans, nec re vera probatum, Meinekius, E. Struve, Clinton et Dindorfius, qui omnes incuria quadam aut inscitia a grammatico falso traditum esse putant, transponendis nominibus sanant. Ergo id iis consentire non moror; sed agedum perlustremus, cujus industria quaeque sit fabula acta. Quum de primis fabulis clare traditum sit a vitae scriptore: *τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα — ὕστερον* (i. e. in Equ.) *δὲ καὶ αὐτὸς ἠγωνίσατο*, et cum didascaliae liquido probent Babylonios et Acharnenses a Callistrato actas esse, sequitur, Daetalenses, de qua documentis caremus, unicam reliquam a Philonide esse doc-

tam, id quod optime quoque priori de privato fabulae argumento disputationi congruit. Eandem ob causam non transeo in Ernesti Struve [1]) sententiam, qui lectis scholiis ad Nubium supra citatum locum 531 «παῖς δ᾽ἑτέρα: Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος. ἐπεὶ οὐ δὶ ἑαυτοῦ ἐδίδαξε τοὺς Δαιταλεῖς, πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα. — δηλονότι ὁ Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος, οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποκριταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους» persuasum habet, amborum opera primam fabulam in scenam prodiisse, Philonidem, fullonem scilicet sive pictorem πολυπράγμονα, sua sponte sibi Callistratum socium adscivisse, impetrata autem ab archonte venia in didascaliis solemnibus et Philonidis et Callistrati nomen eidem fabulae esse adscriptum et earum vestigia scholiastam ad Nub. 531 esse secutum. Equidem contra moneo hanc argumentationem ex parte repugnare priori nostrae sententiae, nec ullo pacto convenire cum civitatis Atheniensium institutis, nec denique scholiastae verba quidquam commodi in hac re afferre. Nam Philonides et Callistratus ambo illic sunt scripti, non, ut Daetalenses, sed potius, ut «παῖς δ᾽ἑτέρα», quae verba E. Struve l. l. omisit, nobis uberius explicent. Ceterum autem haud dubie mihi ejus et Meinekii sententia placuit haec, Aristophanem non διὰ Φιλωνίδου, ut didascalia exhibet, Vespas docuisse, sed per Callistratum; nam illa grammatici verba sunt, opinor, corrupta, nec sensum haberet probandum, Philonidem eodem die duas fabulas aemulas docuisse, nec congrueret hoc cum priori distributionis testimonio. Tandem si mihi concesseris Aves et Lysistratam Cal-

1) Excursus de Philonide et Callistrato in dissertatione de Eupolidis Maricante. Kiliae 1841.

listratum, Ranas et Nubes I, opinor, Philonidem docuisse, habebimus:

1. Daetalenses	Ol.	88,1	per	Philonidem,
2. Babylonios	—	— 2	—	Callistratum,
3. Acharnenses	—	— 3	—	— — —,
4. Equites	—	— 4	—	Aristophanem ipsum,
5. Nubes I	—	89,1	—	Philonidem,
6. Aves	—	91,2	—	Callistratum,
7. Lysistratam	—	92,1	—	— — —
8. Ranas	—	93,3	—	— — —

in scenam esse commissas.

Licet nec auctor, nec, qui fabulam docuerit, me morentur, tamen residet nec mediocris mihi scrupulus haesitanti, quo melius atque aequius expediam poëtae verba in parabasi 626—64 dicta, atque eo gravior mihi haec quaestio videtur, quae, haud scio an, ad auctoris vitam explanandam aliquantulum afferat. Exstant in parabasi haec;

v. 628 Ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν
630 διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις,
633 Φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής,
643 Τοιγάρτοι νῦν ἐκ τῶν πόλεων τὸν φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες
ἥξουσιν, ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον.
ὅστις παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια.

Οὕτω δ' αὐτοῦ περὶ τῆς τόλμης ἤδη πόῤῥω κλέος ἥκει,
ὅτε καὶ βασιλεὺς, Λακεδαιμονίων τὴν πρεσβείαν βασανίζων,
ἠρώτησεν πρῶτα μὲν αὐτοὺς πότεροι ταῖς ναυσὶ κρατοῦσιν·
εἶτα δὲ τοῦτον τὸν ποιητὴν ποτέρους εἴποι κακὰ πολλά·
τούτους γὰρ ἔφη τοὺς ἀνθρώπους πολὺ βελτίους γεγενῆσθαι
καὶ τῷ πολέμῳ πολὺ νικήσειν, τοῦτον ξύμβουλον ἔχοντας.
Διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται,
καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν· καὶ τῆς νήσου μὲν ἐκείνης
οὐ φροντίζουσ', ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται.

Uter vero eorum apud Athenienses ab inimicis insimulatur? uter civibus erat multorum bonorum auctor, quem praestantissimum, qui ex oppidis tributum afferunt, cupiant videre, cujusque fama usque ad Persarum regem sit pervagata, cujus denique causa Lacedaemonii Aeginam sibi reddi flagitent, non quod insulam illam tanti faciant, sed ut hunc poëtam simul cum insula recuperata ad se rapiant sibique vindicent et concilient, Callistratusne an Aristophanes? Has qui voluerit quaestiones dissolvere, perscrutabitur singula ea, quae de utriusque vita nobis colligere licitum sit ex ipso auctore vel e scholiastis.

Fere omnia, quae ad poëtae vitam pertinent, unam praecipue rem spectant, litem, ajo, Cleonis adversus Aristophanem

institutum. Aristophanes enim in Babyloniis fabula prae aliis magistratibus exagitavit Cleonem, tum in civitate potentem, cujus rei disertum invenies testimonium in fabula illam sequenti Acharnensibus v. 377:

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.
Εἰςελκύσας γάρ μ' εἰς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου
κἀκυκλοβόρει κἄπλυνεν, ὥστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μωλυνοπραγμονούμενος.

Causaeque caput, si adhibueris versus 501 — 6, cognosces fuisse hoc: poëtam praesentibus peregrinis Cleonem carpsisse; nam civitatum Atheniensibus conjunctarum legati, qui tributum attulerant, cum in scena Cleonem, urbis ducem, vitiis foedatum, et vilem populum Atheniensem spectassent, domum reversi, ut aliter fieri nequit, nequitiae accusabant; *καὶ διὰ τοῦτο*, subnectit scholiasta, *ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου ταῦτα πεποιηκότα, καὶ ξενίας αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν.* Uter autem illorum, poëta an Callistratus, in judicium protractus sit, non facile est dictu. Cum vero scholiasta ad Vesparum v. 1285 confiteatur «*ἄδηλον πότερον τῆς Καλλιστράτου* (qui Babylonios egerat) *εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται, ὅτε αὐτὸν Κλέων εἰσήγαγεν, ἢ ἑτέρας κατ' αὐτοῦ γενομένης Ἀριστοφάνους, καὶ μὴ εἰσαγωγῆς, ἀλλὰ ἀπειλῆς τινος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται. ἐκεῖνά τε γὰρ ἀναπολεῖν ἀρχαιότερα ἔσται, νῦν τε ὡς περὶ αὐτοῦ λέγει*» meo

quidem judicio duas certe discernere debemus causas a Cleone institutas, priorem ὕβρεως et ξενίας post Babylonios, alteram vero post Equites. Quamquam scholiasta secundo supra laudato loco dicit priorem Callistrato intentam esse, tamen ausim contendere eum falsa retulisse et criminis socium cum auctore permutasse [1]). Justis enim argumentis nisus his, quid commodi, interrogo Vos, Cleon, si Callistratum, qui nullas comoedias scriberet et alienas tantummodo, ut πρωταγωνιστής, doceret, in judicium protractum mulcta affecisset, vel etiam fabulas docere prohibuisset, sibi hinc consecuturus esset; nonne Aristophanes sibi alium πρωταγωνιστήν inventurus vel ipse proditurus esset? — Deinde Vos denuo volo esse rogatos, utrum Aristophanes pateretur trepidus Callistratum pro se poenam luere, an Callistratus molestiam et periculum sustinens pro Aristophane ipse judicibus satisfactionem praestaret, sequentique anno iterum pro eo fabulam agendo periculum subiret. Haec fieri non posse puto. — Cum hac ὕβρεως accusatione conjuncta est alia ξενίας [2]) γραφή, qua Aristophanes citatis ex Homeri Odyssea (α, 215) verbis:

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

a judicibus absolutus est. Cum Aristophanis vitae scriptor hanc

---

1) Nonnisi hoc unum scholiastam ex parte defendit, si cogites Callistratum Cleoni praetextum litis praebuisse, revera autem Cleonem Aristophanem egisse, similiter atque Aeschines Ctesiphontem Demosthenis causa accusaverit.

2) Nisi censeas hanc causam esse fictam e commutatione cum « τῶν ξένων παρόντων ».

litem in Aristophanem solum nec in Callistratum intentam referat, et cum haec lis cum altera ὕβρεως causa, ut supra vidimus, fuerit conjuncta, tertium testimonium pro mea sententia inventum habebimus.

Licet hic paullulum subsistere, et, priusquam ad Acharnenses revertar, controversiarum historiam absolvere.

Hanc ξενίας γραφήν a scholiastis perverse intellectam obtineo vitae scriptoribus ansam dedisse, ut Athenas, Aristophanis patriam, in dubium vocarent, et originem ejus e Rhodo et Aegypto etc. ducerent [1]). Falso enim intellexerunt τὴν ξενίαν de auctoris patria, sed haec ξενίας γραφή, nisi fallor, quod mihi ex Homeri adhibitis versibus elucere videtur, a Cleone post ejus patris mortem instituta, agebat de patris ingenuitate vel potius de matris castitate et tendebat, ut Aristophanes νόθος designatus optimo civium jure privaretur.

Secundam porro cum Cleone controversiam narrat Aristophanes in Vespis perridicule, fingit enim se a Cleone verberatum,

---

1) Ἀριστοφάνους βίος: οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου — Suidas: Ἀριστ: Ῥόδιος ἤ τοι Λίνδιος· οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἔφασαν· οἱ δὲ Καμειρέα· θέσει δὲ Ἀθηναῖος, ἐπολιτογραφήθη γὰρ παρ' αὐτοῖς — Schol. Nub. 271: ἦν γὰρ τὸ γένος Αἰγύπτιος — Bernhardy Lit. II, p. 971. Sicherer ist die Folgerung, dass Philipp der Vater eingewandert sei und mit ihm der Sohn Bürger geworden war. — G. H. Bode. Lit. II, 219. Sein Vater muss nämlich in Aegina und auch im Rhodischen Lindos oder Kameiros Besitzungen gehabt oder dort die meiste Zeit zugebracht haben.

paullulum ei subblandiri coepisse, sed mox «ridicam delusisse vitem» v. 1284—91:

> Εἰσί τινες οἵ μ᾽ ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
> ἡνίκα Κλέων μ᾽ ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
> καί με κακίαις ἔκνισε· κᾆθ᾽ ὅτ᾽ ἀπεδειρόμην,
> οὑκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,
> οὐδὲν ἄρ᾽ ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι·
> σκωμμάτιον εἴποτέ τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.
> Ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα·
> εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

Huc si adhibeamus supra laudata scholiastae verba, licebit componere, Cleonem Aristophanem post Equites iterum vexasse, atque hunc revera se paullulum submissius egisse (fortasse in priore Nubium editione), tum [1]) vero iterum eum increpuisse.

Adeo si perpendimus auctorem Callistratum et Philonidem epitheto «ἕτερος» exornare, id quod invenias in Nubium parabasi v. 528 (v. p. 5) et in Vesparum parabasi v. 1017:

> Ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος πόλλ᾽ αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς,
> τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ᾽ ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς

de se autem loquentem prima uti persona eundemque Cleonis causam semel plus prima enarrare persona, ut videre licet e supra p. 10 lectis versibus (Acharn. 377), vel e Nub. v.

---

1) Ol. 89, 3 expeditio Cleonis in Thraciam, ejus obitus et paullo ante Aristophanis Σφῆκες.

545 *Κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς ου κομῶ.*
549 *ὅς μέγιστον ὄντα Κλέων᾽ ἔπαισ᾽ εἰς τὴν γα-*
στέρα,
κοὐκ ἐτόλμησ᾽ αὖθις ἐπεμπηδῆσ᾽ αὐτῷ κειμένῳ.

vel e Vesp. v. 1284, censeamus ipsi a Cleone alteramutram causam esse illatam.

Sed jam ad reliquas, supra in parabasi injectas, quaestiones redux, contendo spectatorum neminem latuisse Aristophanem verum fabulae auctorem esse [1]). Haec enim elucent e didascalia, in qua Callistratus, qui fabulam docuerit, ab auctore seorsim commemoratur; deinde absurdum esset, nec a mortali quoquam exspectarem, si quis cuidam potestatem facturus esset sua gloria, quae usque ad Persarum regem pervagata erat, libere ante populum fruendi, id quod fieret ex Ach. v. 646 sqq.; tum Callistratus, alter eorum nulla ipse unquam scripsit dramata [2]); ipsius denique verba grave nobis sunt testimonium, multos eum accedentes rogitasse, cur non dudum chorum sibimet ipse postulasset. Equ. v. 513 — 15.

---

1) Bernhardy Grundr. der gr. Literatur, P. II, p. 972: « um so weniger kann man zweifeln, dass beide Männer (Kallistr. und Philonides) nirgend als die wahren Verfasser agirten, und wo sie in eigner Person zu reden schienen, das Publicum vermöge einer feinen, auf den ersten Blick seltsamen Convention alles auf Aristophanes selber bezog. Was unter anderem in den Acharnern über den Handel mit Kleon vorkommt, lässt sich keineswegs von Kall. verstehen ».

2) Vesp. par. v. 1017 « *ἑτέροισι ποιηταῖς* » Verbum *ποιητής* Philonidem solummodo spectat.

῾Α ' δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας,
καὶ βασανίζειν, ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτὸν,
ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευε φράσαι περὶ τούτου.

Posthac concedatis, quaeso, mibi verba «ὁ ποιητής et τοῦτον τὸν ποιητήν» κατ' ἐξοχήν non recte nisi de auctore esse intelligenda.

Collectis denique omnibus de Aegina indiciis, qua natus vel domicilium habens alteruter referatur [1]) «ἐντεῦθέν τινες νομίζουσιν ἐν Αἰγίνῃ τὰς κωμῳδίας ποιεῖν τὸν Ἀριστοφάνην, διὰ τὸ ἐπενηνοχέναι αὐτόν· ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται τὴν Αἴγιναν, οὐχ ὑμᾶς· ταῖς ἀληθείαις εἷς ἦν τῶν ἐν τῇ νήσῳ κληρουχησάντων. οὐδὲν δὲ ἐκώλυε καὶ ἑτέρωθι συγγράφειν, εἰ ὑπὸ Λακεδαιμονίους ἡ νῆσος ἐγεγόνει. Ἄλλως. οὐδεὶς ἱστόρηκεν ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης, ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι, ὅς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν Αἰγινητῶν ὑπὸ Ἀθηναίων» quacum adnotatione si contulerimus, quae leguntur apud scholiastam Clarkianum Platonis Apol. 19 «κατεκλήρωσε (Arist.) δὲ καὶ τὴν Αἴγιναν, ὡς Θεογένης φησὶν ἐν τῷ περὶ Αἰγίνης», vel quae, incertum Ar. vitae auctorem evolventes, invenimus «οἱ δὲ λέγουσιν αὐτὸν Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε· κατά τινας δὲ, ὡς ὅτι ὁ πα-

1) Schol. Acharn. v. 654.

τὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης», perveniemus ad finem hunc, esse litem sub judice et trutinam neutri cedere. Verumtamen si haec contuleris cum superius jam concessis, Aristophanem, neutiquam Callistratum esse intelligendum in illa Acharnensium parabasi, ipsumque a Cleone multa perpessum, poëtam esse dignum et celebrem, cujus gloria tam late pervagata sit, largiaris mihi id quoque, quod persuasum habeo ipsius causa Lacedaemonios Aeginam reposcere, quam in insulam δεύτερον καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε; sive qua οἱ μὲν αὐτόν φασιν τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο; sive in qua εἷς ἦν τῶν κληρουχησάντων; sive cujus insulae ratione habita οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Αἰγινήτην, ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

Altera quaestio, quam mihi in animum, ut investigarem, induxi, prorsus necessaria fabulae nexum intellecturis disseret —

DE FABULAE TEMPORE ATQUE ARISTOPHANIS AEQUALIBUS.

De tempore quidem non tantummodo unius anni, mensis dieique respectu, quo auctor eam docuerit, sed alias etiam, nam sic res secum fert, quadam ex parte nostri poëtae fabulas, comoediae conditionem atque res tum gestas, denique aequales quum dramaticos tum publicos, qui in fabula spectatorum ludibrio exponuntur, vel quorum mentio est injecta, tractabit.

Tertia, quam Noster in scenam detulit, secundum ordinem est Acharnenses; Βαβυλώνιοι [1]) eam praecedit, sequitur vero Ἱππῆς [2]). Itaque maxime miror, rem quam simplicissimam tam confuse esse enarratam a vitae auctore, quippe qui referat Aristophanem scripsisse τοὺς Ἱππέας in Cleonem, quem accusaverit violentiae, tyrannidis et furti, et cum nemo eam docere ausus esset, δι' ἑαυτοῦ ὁ Ἀριστοφάνης ὑπεκρίνατο, αὑτοῦ τὸ πρόσωπον μίλτῳ χρίσας, καὶ αἴτιος αὐτῷ γέγονε ζημίας πέντε ταλάντων, ἃ ὑπὸ τῶν Ἱππέων κατεδικάσθη, ὥς φησιν ἐν Ἀχαρνεῦσιν (v. 5)

ἐγῷδ' ἐφ' ᾧ γε τὸ κέαρ ηὐφράνθην ἰδών,
τοῖς πέντε ταλάντοις, οἷς Κλέων ἐξήμεσεν.

Nonne exinde fore videtur, ut Cleon ob Equites quinque talentis poenas luerit? Sic — sed cum res sic se non habeat, discerpamus illum locum in partes, ac statuamus [3]) Cleonem poenam dedisse ob Babylonios, qua Aristophanes ἐκωμῴδησε τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα [4]), atque quinque talentis damnatum esse ὑπὸ τῶν ἱππέων, ab Equitibus, causae judicibus, neque ob Equites, Aristophanis fabulam.

Sextum belli Peloponnesiaci annum fuisse, quo poëta fabulam docuerit, affatim clare manifestatur versu 266 «ἔκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον ἐς τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος» et versu 890

1) Acharn. v. 377 et Schol. — Suidas s. v. Σαμίων ὁ δῆμος.
2) V. argum. Equit. et Aristoph. Equ. v. 793 ἔτος ὄγδοον calculis a pugna ad Potidaeam (a. 432) subductis.
3) Bode, Gesch. d. Dr. D. p. 230. — 4) Schol. ad. v. 377.

«ἤκουσαν ἔκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην»; Lenaea quidem tum Athenienses celebrasse versu 504 «αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὐπὶ Ληναίῳ τ' ἀγὼν, κοὔπω ξένοι πάρεισιν» archontem vero et victorias tradidit scholiasta in fabulae argumento «ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυδήμου [1]) ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου· καὶ πρῶτος ἦν· δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις. οὐ σώζονται. τρίτος Εὔπολις Νουμηνίαις». Haec Lenaea haud sunt commiscenda cum Dionysiis κατ' ἀγρούς, sicuti placuit nostro scholiastae [2]), qui perperam renuntiat «ὁ τῶν Διονυσίων ἀγὼν ἐτελεῖτο δὶς τοῦ ἔτους, τὸ μὲν πρῶτον ἔαρος ἐν ἄστει.... τὸ δὲ δεύτερον ἐν ἀγροῖς ὁ ἐπὶ Ληναίῳ ἀγόμενος»; nam ab iis stricte discernuntur et loco et tempore et cultu et dramatum spectatoribus. Celebrabantur enim Athenis ἐν Λίμναις, amplo munimento, quo erat templum Dionysi Lenaei, et ludi scenici fiebant [3]). Sacer iis erat Gamelion, septimus Atheniensium men-

1) Scaliger et Musgravius, corrupta scriptura Εὐθυμένους decepti, fabulam olympiadis 85 anno quarto adscripserunt. Eorum errorem post alios Clinton (Fasti Hellenici) (v. a. 425) corrigit.

2) Schol. Acharn. v. 202 et 504. — Eundem errorem commisit Apollodorus ap. Steph. Byz. s. v. Λήναιος «ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς ἀπὸ τῆς ληνοῦ» et Scaliger in emend. temp. I, 29. — 3) Hesych. I, p. 1364 et II p. 461. «Λίμναι τόπος ἐν Ἀθήναις ἀνειμένος Διονύσῳ, ὅπου τὰ Λήναια ἤγετο». — Etym. M. s. v. Ἐπιληναίῳ «περίαυλός τις μέγας Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ ἱερὸν Διονύσου Ληναίου καὶ τοὺς ἀγῶνας ἦγον τοὺς σκηνικούς. — Sed falsa est nota schol. Thucyd. II, 15 «Λίμναι τόπος ἐν τῇ ἀκροπόλει τῶν Ἀθηνῶν.

sis [1]). Agebantur his diebus festis pompae, tragoediae comoediaeque [2]). Qui hos ludos spectatum venerant, inveniebantur ci-

---

1) Bekk. anecd. p. 235. ἤγετο δὲ τὰ μὲν κατ᾽ ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος, τὰ δὲ Λήναια Γαμηλιῶνος. τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος — Proclus ad Hesiod. ἔ. κ. ἡ. 502. τῷ Γαμηλιῶνι καθ᾽ ὃν καὶ τὰ Λήναια παρ᾽ Ἀθηναίοις, Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ᾽ ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσι — Quibus vero causis Ruhnkenius motus in Hesychii verbis: Διονύσια· ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἡ Διονύσῳ ἤγετο· τὰ μὲν κατ᾽ ἀγροὺς, μηνὸς Ποσειδεῶνος· τὰ δὲ Λήναια, μηνὸς Ληναιῶνος· τὰ δὲ ἐν ἄστει, Ἐλαφηβολιῶνος» corrigat τὰ δὲ Λήναια, Ἀνθεστηριῶνος, non intelligo, cum Lenaeonis nominis ratio constet et probata sit s. l. l. Procli et Etym. M. s. v. Ληναιών· — Boeckh in Berl. Abh. 1816 p. 117: so erscheinen — die ländlichen Dionysien, als das mit der Weinlese entstandene natürliche Fest; die städtischen, als ein davon abgeleitetes; die Lenäen und Anthesterien, als besondere Feste der Weinbereitung. — Ne nostram sententiam irritam faciat Thuc. testimonium II, 15 «τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι», addo nonnisi hoc unum, auctorem scito comparativo gradu esse usum.

2) Demosth. Mid. § 10 «ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοί. — Schol. Arist. Equ. 547. «ἑορτὴ παρ᾽ Ἀθηναίοις τὰ Λήναια, ἐν ᾗ μέχρι νῦν ἀγωνίζονται ποιηταὶ συγγράφοντές τινα ᾄσματα τοῦ γελασθῆναι χάριν. ὅπερ ὁ Δημοσθένης εἶπεν ἐξ ἁμάξης. — Ordinem inquirentes viri docti assignarunt matutino tempori tragoedias, vespertino autem comoedias, aliter ac Dionysiis magnis. Vd. Boeckh. Berl. Abh. 18$\frac{16}{17}$ p. 79; Corp. Inscr. I, p. 394; Müller griech. Litt. II, p. 33.; Droysen Zeitschr. f. Alter. 1844 p. 122.

ves et inquilini [1]); nam socii tributum soluturi non ante Dionysia magna advenire solebant i. e. duobus mensibus post.

Status rerum erat anno nostrae fabulae editae Athenis valde durus ac molestus [2]); jam sextum [3]) per annum patiebantur incolae Attici saevitiam belli, qua coacti hostibus agros devastantibus in urbem se omnes receperant, hic vero compressi templa, turres murosque habitabant [4]), nec pium desiderium singulorum [5]) finem tristi bello imposuit, potius quo plura ab

---

1) Aristoph. Acharn. v. 503 etc.

Οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγὼν,
κοὔπω ξένοι πάρεισιν· οὔτε γὰρ φόροι
ἥκουσιν οὔτ' ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι·
ἀλλ' ἐσμὲν αὐτοὶ νῦν γε περιεπτισμένοι·

Schol. Ach. v. 504. *εἰς δὲ τὰ Διονύσια ἐτέτακτο Ἀθήναζε κομίζειν τὰς πόλεις τοὺς φόρους, ὡς Εὔπολίς φησιν ἐν Πόλεσιν .... ὁ ἐπὶ Ληναίῳ λεγόμενος, ὅτε ξένοι οὐ παρῆσαν Ἀθήνησι. χειμὼν γὰρ λοιπὸν ἦν.* — 2) Thucyd. II, 12. *ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει.* — 3) Vd. p. 17. — 4) Ach. v. 72 «*παρὰ τὴν ἔπαλξιν ἐν φορυτῷ κατακείμενος*» — Thuc. II, 16 «*ἐβαρύνοντο καὶ χαλεπῶς ἔφερον οἰκίας τε καταλιπόντες καὶ ἱερὰ, ἃ διὰ παντὸς ἦν αὐτοῖς ἐκ τῆς κατὰ τὸ ἀρχαῖον πολιτείας πάτρια, δίαιτάν τε μέλλοντες μεταβάλλειν, καὶ οὐδὲν ἄλλο ἢ πόλιν τὴν αὐτοῦ ἀπολείπων ἕκαστος.*
5) Acharn. v. 33. *τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν.*

hoste cives erant perpessi [1]), eo obstinatius Cleone suadente [2]) pacem rejiciebant [3]). Fides erat gentibus, ut Thucydidis [4]) verbis loquar, nulla divina lege confirmata, prudens dicebatur, qui callidior insidias pararet, sodales cognatis anteponebantur, jusjurandum datum, dummodo vires deerant, valebat, sed prima occasione oblata, fraude superabatur, simplicitate et generositate funditus deletis etc. etc. Tale quid et Noster docet de Lacedaemoniis «οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔθ' ὅρκος μένει» [5]); eademque testantur Thucydides [6]) et Euripides [7]). — Athenienses vero, Aristophane teste, praecipites ingenio in consilium in idemque saepe mutandum, peregrinis, qui decipiebant, adulatoribus rhetoribusque pronas aures praebentes quam maxime remisse rempublicam administrabant [8]).

1) Acharnenses (v. 183) τῶν ἀμπέλων τετμημένων causa, quam maximo in Lacedaemonios furore flagrantes, Archidamo praecipue, qui eorum agros devastaverat, irascebantur. Vd. Thucyd. II, 20. — 2) Thucyd III, 36. Cleon Athenis tum maxime potens erat προστὰς αὐτῶν ἑπτὰ ἔτη — Schol. ad Luciani Tim. 30; Plut. Per. 33, 35. — 3) Ach. v. 27. εἰρήνη δ' ὅπως ἔσται προτιμῶσ' οὐδὲν (οἱ πρυτάνεις) — 4) Thucyd. III, 82. — 5) v. 308. — 6) Thucyd. V, 24 et 25. — 7) Eurip. Androm. v. 446.

Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανοῤῥάφοι κακῶν,
ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ πᾶν πέριξ
φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα.

8) V. 630 ταχύβουλοι; v. 632 μετάβουλοι; v. 634 ξενικοῖσι λόγοις λίαν ἐξαπατᾶσθαι; v. 635 ἥδεσθαι

Fausta erat comoediae conditio aevo, quo Aristophanes hanc fabulam docuit. jure igitur nec immerito illud aureum comoediae saeculum nominari solebat. Hanc prorsus sententiam tuentur non solum comici illius aetatis auctores quam plurimi ac satis celebres, quamquam invidum nobis tempus praeter parca fragmenta vix ac ne vix quidem eorum nomina [1]) ab oblivione vindicavit; sed argumento quoque mihi sunt leges tum in comoe-

---

θωπευομένους εἶναι χαυνοπολίτας — Thucyd. I, 70 «νεωτεροποιοὶ καὶ ἐπινοῆσαι ὀξεῖς καὶ ἐπιτελέσαι ἔργῳ, ὅ ἂν γνῶσιν» e. g. reminiscamini, quaeso, decreti de Mitylenaeis necandis priore die lati, altero autem Diodoti consilio abrogati. Thucyd. III, 18 sqq. — Plinius H. N. XXXV, 10, 36. «Pinxit (Parrhasius) et demon Atheniensium argumento quoque ingenioso. Debebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem, eundem exorabilem, clementem, misericordem, gloriosum, excelsum, humilem, ferocem fugacemque et omnia pariter ostendere». — Demosth. Phil. I, 8 «ἅπαντα ἐλάττω νομίζοντες εἶναι τοῦ δέοντος καὶ τὰ μέγιστ᾽ ἐν τοῖς ψηφίσμασιν αἱρούμενοι, ἐπὶ τῷ πράττειν οὐδὲ τὰ μικρὰ ποιεῖτε. — Dem. Phil. I, 5 ἀπηρτημένοι καὶ ταῖς παρασκευαῖς καὶ ταῖς γνώμαις. — Dem. de Pace 1. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι πρὸ τῶν πραγμάτων εἰώθασι χρῆσθαι τῷ βουλεύεσθαι, ὑμεῖς δὲ μετὰ τὰ πράγματα. — De rhetoribus Dem. Phil. I, 16. ἀνοητότατοι γάρ εἰσιν οἱ λογοποιοῦντες — de Pace 2. «ἐπὶ λήμμασι πολλὰ καὶ μεγάλα ὑμεῖς ἁμαρτάνειν πείσαντες».

1) Non meum est hoc loco disputare de Phrynicho, Eupolide, Pherecrate etc.; cum enim nullus sit eorum cum Acharn. nexus, silentio eos transeo.

diam latae nimia libertate gavisam. Talis erat lex, quae fortuito apud Schol. Acharn. v. 67 servata exstat, haec: τὸ ψήφισμα τὸ περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου ἴσχυσε ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν καὶ δύο τοὺς ἑξῆς δὲ ἐπὶ Γλαυκίνου τε καὶ Θεοδώρου, μεθ᾽οὓς ἐπ᾽ Εὐθυμένους κατελύθη. Illa celebris comoedia, sic dicta, antiqua usque ad Alcibiadem, qui Eupolidis causa ψήφισμα ἔθετο μηκέτι φανερῶς, ἀλλὰ συμβολικῶς κωμῳδεῖν [1]), sed rectius usque ad belli Peloponnesiaci finem vigebat, atque id ipsum erat aevum, quo Aristophanis plurimae fabulae lucem aspexerunt. Idem fere tempus nobilitatum est illustribus illis triumviris tragicis, quorum gloria atque opera usque ad nos descendebant. Ea de causa mihi temperare non possum, quin plura justo jure de iis verba faciam, non solum quod ipsi aliquatenus e fabula explicantur, sed potius fabulae sensus plurimum ex iis intelligitur. Aeschyli mentionem facit Dicaeopolis in fabulae initio enumerans, quot gaudiis atque doloribus sit affectus; v. 10. «ὅτε δὴ 'κεχήνη, inquit, προσδοκῶν τὸν Αἰσχύλον, ὁ δ᾽ ἀνεῖπεν· εἴσαγ᾽ ὦ Θέογνι τὸν χορόν. Quibuscum verbis si composueris scholiastae adnotationem, comperies Aeschylum supremum diem jam obiisse ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον, triginta certe annis ante nostram fabulam doctam (τούτων πρότερον ἐνιαυτῷ λ᾽); nihilominus erant ejus dramata in deliciis populi adeo, ut μόνου αὐτοῦ τὰ δράματα ψηφίσματι κοινῷ καὶ μετὰ θάνατον ἐδιδάσκετο [2]), atque ipse Aristophanes eum, quem so-

1) Prolegg., de Com. IX, 60. — 2) Suidas: Εὐφορίων· υἱὸς

lummodo propter tumorem et strepitum verborum riserat, magno honore dignabatur.

Saepius autem, ut monstraret, quantum tragici poëtae disciplina majorum desciverint, tangit Noster Euripidem [1]), id quod hodie non spernendum videtur, quoniam una ex parte cognoscimus [2]), Oeneum, Phoenicem, Bellerophontem, Ino, Philoctetem, Telephum et Thyestem [3]) fabulas Euripidis doctas esse ante Acharnenses, atque argumento habuisse heroes claudos, mendicos, miserrimosque sordidis pannis amictos [4]), — altera ex parte nonnisi ex illo explicari possunt Nostri verba, quibus eum imitans ri-

---

Αἰσχύλου τοῦ τραγικοῦ, Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ αὐτός· ὃς καὶ τοῖς Αἰσχύλου τοῦ πατρὸς, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν· ἔγραψε δὲ καὶ οἰκεῖα.

1) Ne nimis evager, verbo modo adnoto Nostrum v. 478 et 489 Euripidem perstringere, cujus mater olera et scandicem venderet, id quod sine dubio magno erat dedecori. — 2) Acharn. v. 418 — 434. — 3) Schol. τῶν Θυεστείων ῥακῶν: Ἤτοι τὰ τῶν Κρησσῶν, ἢ αὐτοῦ τοῦ Θυέστου. Ed. Müllerus, Welckerus, Hartungus ac Bothius Thyesten et Cressas unam eandemque fabulam esse putant, sed recte iis refragatus est God. Hermannus, qui utramque fabulam diversam fuisse monstrat; ejus rationibus maxime favent noster schol. et Stobaei frgg. in Florilegio 92, 3 et 92, 5. — 4) Telephi didascalia, nuper a Dindorfio prompta, testatur, eam fabulam Ol. 85, 2 esse actam, reliquorum vero illorum dramatum anni, quibus docta sint, et argumenta, nobis obscura, hac ipsa Aristophanis commentatione explicantur. Vd. Eur. frgg. ed. Fr. G. Wagner.

det. Sic e. g. Dicaeopolis v. 893 de anguilla Copaica loquens «μηδὲ γὰρ θανών ποτε σοῦ χωρὶς εἴην» hoc ipso perstringit Euripidis pathos, Alcest. [1]) v. 387 «μηδὲ γὰρ θανών ποτε σοῦ χωρὶς εἴην τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί». Eandem causam prae se fert versus 326 «ἀποκτενῶ γὰρ ὑμῶν τῶν φίλων τοὺς φιλτάτους» quem explicat scholiasta sic: τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών». Num. h. l. pro «Αἰσχύλον» restituendum sit «Εὐριπίδην» est quaestio, de qua Fr. Vaterus Professor, doctissima in scriptione de Sophoclis Aleadis p. 19, jam luculenter disputavit, quamque denuo provocans corrigit in suis Rhesi vindiciis p. CLXIII hoc sensu: Euripidem illo loco irrideri, Aeschyli autem nomen in scholio esse servandum; scholiasta enim putabat Aeschyli Telephum exagitari, sed Aristophanes Euripidem verberat. Alius deinde locus v. 398 «ὁ νοῦς μὲν ἔξω συλλέγων ἐπύλλια οὐκ ἔνδον, αὐτὸς (Eur) δ᾽ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ τραγῳδίαν» ludit Euripidis nimis sapientem servum et syllogismos, quales invenias in Hippol. [2]), v. 612. «ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽, ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος» vel in Alcest. v. 521 «Α: Ἔστιν τε κοὐκέτ᾽ ἔστιν, ἀλγύνει δέ με» vel ib. v. 142 «Θ. καὶ ζῶσαν εἰπεῖν καὶ θανοῦσαν ἔστι σοι. Χ: Καὶ πῶς ἂν αὐτὸς κατθάνοι τε καὶ βλέποι. Θ. Ἤδη προνωπής ἐστι καὶ ψοχοῤῥαγεῖ. Amphitheus denique, civis quidam, in concione dicturus, atque originem suam a Cerere et Triptole-

1) Alcestis docta est Ol. 85, 2. — 2) Olymp. 87, 4.

mo trahens, ludibrio exponit Euripidis studium genealogicum, quo excitatus v. c. in Rheso [1]) equorum regisque originem longe lateque explanat [2]).

Nolint nos diu morari ceteri poëtae Aristophani aequales, qui in fabula occurrunt; sed passim tam tenui gloria gaudebant, ut oblivione obruerentur, nec nobis nisi ridiculi inde noti essent. Istius generis fuit Theognis (v. 11 et 140), cujus tragoediae erant tam frigidae, ut tempore, quo eas docebat, Thracia esset nive contecta, et fluvii gelu constricti, atque haec indoles ei erat causae cognominis « Χιών » [3]). Nihilo eo melior evasit Moschus (v. 13) nequam citharoedus, cujus fama erat sic obscura, ut scholiasta verba « ἐπὶ Μόσχῳ Δεξίθεος εἰςῆλθε », num de poëta an vitulo sint explicanda, haesitet [4]). Taediumque creabant spectatoribus Chaeris orthium [5]) modum canens,

1) Rhes. v. 185 et v. 341. — 2) Schol. Ach. 47 de Eur. « ἀεὶ ἡδέως ἀπαγγέλλων τὰ γένη. Id quod Plato de talibus genealogiis censeat, legas in Theaet. p. 174 et 175.— Injustissimum et mordax de meo poëta, qui Euripidem lusisset, judicium tulit I. A. Hartungus in suo Euripide restituto, quem quidem, ut dolens confiteor, nonnisi ex Mülleri recensione (Z. f. Alt. 1848. N° 64 sqq.) novi. — 3) Num hic idem sit Theognis, atque ille quem Xenoph. Hell. II, 3 nominat? — Vd. Suid. s. v. Θεόγνις. — 4) Suidae in hac causa adnotatio nullius est momenti, quippe qui totam e scholiasta transcripserit. — 5) Schol. v. 16. « ὁ δὲ ὄρθιος αὐλητικὸς νόμος, οὕτω καλούμενος διὰ τὸ εἶναι εὔτονος καὶ ἀνάτασιν ἔχειν, ὡς δηλοῖ καὶ Ὅμηρος (Il. Λ. 10).

tragicusque poëta carminum auctor Hieronymus [1]) hirsutus, qui male argumenta effectuum plena disponeret, terribilibusque personis uteretur. Morychus vero tragicus quoque poëta ad nostram descendit memoriam fama insignitus, qui helluo vitam viveret mollem et luxuriosam, ceterum legatus Atheniensium ad regem Persarum antehac fuerat [2]). — Eos omnes praeeminet Cratinus [3]) comicus, quem Aristophanes ridet, ut nimis expeditum arte musica, et quasi hircum sub alis olentem, quemque exornat ita «ὁ περιπόνηρος Ἀρτέμων» pro «ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων» quod erat proverbium ab Anacreonte adhibitum de puero quodam pulcherrimo [4]). — Inter hos multos solum Dexitheum, qui carmen Boeotium cecinerit, quadam laude dignatur, ceterum nobis paene ignotum, nisi eundem citharoedum scholiastae auctoritate fuisse Πυθιονίκην [5]).

Quod si soli Aristophani sit fides habenda, rhetores ejus temporis erant pessimi; nam nonne hoc iniquum est Marpsiam [6])

---

1) V. 388 — Nubes v. 349: Hieronymus Xenophantis filius, dithyramborum poëta et paederasta. — 2) Schol. v. 61 et 887 et Plato comicus in Περιαλγεῖ. — 3) v. 849 — 52 Cratinus nonaginta septem annos natus Ol. 89, 2 e vita discessit; celeber sui temporis erat comicus, qui tres referret victorias: Πυτίνῃ Ol. 89, 2 primam de Aristophanis Nubibus I, Σατύροις Ol. 89, 1 et Χειμαζομένοις Ol. 88, 4 secundas. Idem erat, qui praecepit «Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt, Quae scribuntur aquae potoribus» Hor. Ep. I, 19, 2.

4) Athenaeus p. 533. — 5) v. 14. — 6) Marpsiam scholiasta v. 702 dicit φιλόνεικον καὶ φλύαρον καὶ θορυβώδην ῥήτορα.

Cephisodemum [1]) et Euathlum [2]) adolescentes, lites persequendo perdidisse senes, qui fortes se pro republica in campo Marathonio praestiterant, an justum est Thucydidem [3]), tunc senectute incurvum, esse a Cephisodemo sagittario vexatum, qui integer aetatis clamando sagittariorum tria millia superasset, sagittis ipsius paternos cognatos confixisset et luctando Euathlos decem dejecisset? Haud melius sibi judicium apud Nostrum parabat Hyperbolus [4]) litigans (v. 846) et Alcibiades [5]) (v. 716) εὐρύπρωκτος καὶ λάλος, χὡ Κλεινίου.

1) Cephisodemus a scholiasta describitur θρασὺς καὶ δεινὸς πρὸς τὰς δίκας, tum v. 702 Σκυθῶν ἐρημία, sagittarius, a sagittariisque paternos cognatos ducens. — 2) Euathlus (schol. 710) ῥήτωρ πονηρός, λάλος καὶ ἀγεννής, sagittariusque h. o. c. ἐν Ὀλκάσιν dictus. — 3) Schol. 704. οὗτος δὲ ὁ Θουκυδίδης Μελησίου παῖς ἦν· γεγόνασι δὲ δ', ὁ ἱστορικός, ὁ Γαργήττιος, ὁ Θετταλός, ὁ Μελησίου παῖς. Cum Pericli in republica gerenda adversaretur, Ol. 81, 1 ostracismo est ejectus. Ar. Vesp. v. 947; Plut. Per. p. 161. — 4) Hyperbolus patre, quem servum stigmata deformabant (Vesp. 1007), natus, post Cleonis mortem, utpote lychnorum, quo civitas minus in tenebris res suas ageret, venditor, deinde ad tempus, ut rempublicam administraret, assumptus (Pax. 681 — 92), denique ob malitiam et quia civitatem ejus pudebat, ostracismo ejectus Sami habitabat, ibique obiit, postremo jam mortuus in Orco a caupona auxilio vocatur (Ran. v. 570 et schol.). Theopompo teste (v. ib.) ejus corpus utri inclusum in mare est demersum. — Ejusdem mater in Marica ab Eupolide, ut anus temulenta, cordacem saltans, inducta, ab Hermippo in Ἀρτοπώλισιν et a Platone quoque tota fabula est calcata. — 5) Alcibiades, Cliniae et Dinomachae filius, sequebatur Socratem (Arg. Nub. II), sed Hermocopi-

Jam transeamus ad viros, qui, rebus publicis gerendis nostrae fabulae anno dediti, vel ob vitam indolemque et corpus ab Aristophane derisi, ad nostram memoriam descenderunt. — Agens producitur in populi conspectum *Lamachus*, ut belli amantissimus (v. 269 et 1071) pacisque inimicus (v. 722), tum a senibus Acharnensibus contra Dicaeopolidem advocatus apparet εὔοπλος (v. 592), terrificum gerens clypeum, Γοργόνα ob insigne dictum (v. 582, 964, 1095), quatiensque tres umbrosas cristas (v. 965) galea pennis κομπολακύθου ornata, abit denique jurans se semper contra omnes Peloponnesios, Megarenses et Boeotios bellum esse gesturum (v. 620). Tum Lamachus, Choum et Chytrorum festa celebraturus, a praetoribus contra Boeotos mittitur, paullo vero post vulneratus ploransque e pugna refertur magno Dicaeopolidis ludibrio, qui cum amicabus potans tranquilla pace fruitur (1071 — 1231). — Ejecto ex hac descriptione fuco poëtico, eum habeamus bellicosum sui temporis heroem, praesertim cum Thucydides quoque eum commemoret duobus annis post cum navibus in Pontum navigasse, deinde ducem Atheniensium in expeditione Sicula optimum consilium Syracusas primo impetu capiendi tulisse, quae cum conditio a ceteris ducibus non esset comprobata, atque oppidum ab Athe-

---

darum facinoris reus (Lys. 1094) et per Salaminiam in judicium arcessitus, aufugit in Peloponnesum (Av. Arg. II), postquam anno ante Ranas doctas redierat Athenas, ipso fabulae anno, quia Lysander classem Atheniensem fuderat, iterum fuga salutem quaesivit (Ran. 1422). De ejus vita vd. Plut. v. Corn. Nep. — Constat fictum esse Alcibiadem Eupolidem, abs quo in scena risus fuerat, mari immersisse (Prolegg. Ar. IX).

niensibus esset circumvallatum, ipsum ab eruptionem facientibus fortiter pugnantem esse occisum [1]). Ipse Aristophanes [2]) ei post obitum meritam laudem attribuit optimi ducis, qui ex Homeri disciplina processerit; atque hac ratione mihi videtur ad proverbium « de mortuis nonnisi bene » alteram addidisse partem « de vivis nonnisi male ».

Alter, qui in scenam prodit, est *Theorus* [3]); ad Sitalcem Thracum regem legatus, tum Athenas redux, in concione refert, regem tam magnum esse Atheniensium amicum, ut etiam in parietibus inscripserit « Ἀθηναῖοι καλοί » ejusque gnatum, civitate donatum, cum valde cuperet isicium ex Apaturiis comedere, patrem, ut urbi succurreret, oravisse, quo facto illum libantem jurasse, se cum tanto exercitu opem laturum esse, ut Athenienses dicerent « ὅσον τὸ χρῆμα παρνόπων προσέρχεται » deinde prodire jubet Odomantos alliatos [4]), qui suam copiam Atheniensibus duabus drachmis in singulas dies praebituri sint. In aliis fabulis [5]) idem perstringitur rapax, improbus, adulator et moechus; sed unde fuerit hic Theorus, enucleare arte non possum. Thucydides [6]) enimvero legationem et foedus inter Athenienses et Sitalcem Odrysarum regem compositum, Sadocumque filium civitate donatum initio belli commemorat, at Theorum non legatum, sed Νυμφόδωρον dicit, Odomantes vero liberos atque suo jure utentes; narrat quidem legatos ite-

1) Thucyd. Hist. Gr. L. IV, 75 et L. VI, 101. — 2) Arist. Ranae. v. 1039. — 3) v. 138. — 4) Schol. 166 ἐσκοροδισμένοι. Alliis galli, ut atrocius inter se pugnarent, excitabantur. — 5) Vespae 134; Nub. v. 42 — 51. — 6) Thucyd. II, 29, 95 — 101.

rum ad Sitalcem Ol. 87, 4 missos esse, sed nominatim indicat nullum. Hinc dubius sum factus, an Aristophanis ambiguae fidei esset credendum, Theorumne legatum Thucydides silentio transiisset?

Offertur deinde risuris *Nicarchus* [1]) quidam, sycophanta; qui absurda fingens Boeotum rerum venalium causa in jus vocare minatur, a Dicaeopolide autem arreptus sarmentisque illigatus traditur Boeoto, quasi merx Athenis nimis abundans, et crater malorum, calixque, in quo negotia mista turbentur. Quis hic Nicarchus fuisset, ex nullo auctore teste comperi, qualis autem generis sycophantae fuerint, perspectum habere videor perlectis Demosthenis in Aristog. p. 786 verbis his: πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς, ὥσπερ ὄφις ἢ σκορπίος, συμφορὰν, ἢ βλασφημίαν, ἢ κακόν τι προστριψάμενος, καὶ καταστήσας εἰς φόβον, ἀργύριον πράξεται etc. [2]).

Quos praeter multi fuerunt eodem tempore viri, qui rebus publicis studebant, suoque studio, provincia et indole omnibus suae aetatis civibus cogniti erant, iisdemque rebus Aristophanis cachinnum moventes, publico ludibrio exponebantur. Quamquam vero hi joci aliquoties ne singulo verbo quidem clam aguntur, tamen gratias debemus auctori nomina et indoles virorum servanti, qui tum in republica florerent, multumque sine dubio valerent.

Plura quam de ceteris comperta habemus de *Cleone*, sed cum jam bis mihi quaestionem de se instituendi ansam dederit, hoc loco nonnisi pauca ex ejus vita addam, ut cognoscatur, quo

1) V. 908 — 59 — 2) sycophantae, ne deferrent, pecunia corrumpebantur, vd. Xenoph. Symp. 4, 30; Memor. II, 9.

jure Aristophanes eum luserit. Filius teste scholiasta [1]) fuit Cleonymi, qui coriorum [2]), officinam habebat, teste vero Thucydide [3]) ὁ Κλεαινέτου... ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος, idem Ol. 87, 1 in concione evicerat, ut omnes Mytilenaei puberes enecarentur, impuberes vero ac foeminae in servitutem redigerentur [4]). Ante Acharnenses [5]) doctam ab insulanis argentum acceperat, quo Atheniensibus persuaderet, ut onus tributorum ipsis levarent, acceptum vero ab equitibus coactus reddidit. — Pacem propositam aspernatus, Lacedaemonios Ol. 88, 4 in Sphacteria obsessos jactavit se intra vigesimum diem capturum, captivosque Athenas adducturum esse [6]) et reapse, praeter omnium spem, res a Demosthene Pyli gestas sibi arrogans, sua promissa implevit. Tandem occurrit ille in Thracia, quo cum exercitu profectus ad Amphipolin contra Brasidam pugnans mortem oppetiit, id quod valde opportune patriae evenit; nam iste maxime paci adversabatur διὰ τὸ εὐτυχεῖν τε καὶ τιμᾶσθαι ἐκ τοῦ πολεμεῖν, paxque non amplius morabatur pangi.

Cum eorum juvenum, quos Aristophanes v. 603 — 6 increpat, memoria sit nimis obscura, a scholiasta vero quidem adjectae adnotationes leviores nullius reapse sint momenti, conjecturaeque [7])

1) Schol. Equ. 44. — 2) Ach. v. 300, Equ. v. 44. — 3) Thuc. III, 36. — 4) Thucyd. III, 36. — 5) Ach. sch. 6.
6) Equ. arg. II. Equ. v. 1054 — 56; Thucyd. IV, 21 sqq.
7) Conjicit Elmslejus (ed. Arist. Ach.) verbis v. 606 «τοὺς δ' ἐν Καμαρίνῃ κἀν Γέλᾳ κἀν Καταγέλᾳ» poëtam tangere Lachetem Atheniensium in expeditione Sicula ducem, quem

de iis mihi videantur nec aptae nec opportunae, nihil habeo, quod amplius de Tisameno, Phaenippo [1]), Hipparchide, Gerete et Theodoro [2]) addam, nisi auctoris verba repetens, eos fuisse juvenes laborem fugitantes, qui suffragiis ab indocta plebe legati vel duces creati, in Thracia vel Sicilia versarentur, atque tres drachmas in diem merentes, Atheniensibus ipsis insultarent. — Ad eos quoque numerandus est ὁ Κοισύρας [3]), cui amici ob stipem non collatam et aes alienum omnes acclamabant: ἐξίστω. Scholiastes hoc nomine tangi arbitratur Megaclem, Coesyrae filium, Clisthenis patrem, qui rempublicam post ejectos Pisistratidas constituerit. Sed neque hic neque hujus nepos, alter Megacles, nostro loco convenit, nam qui hic irridetur a Nostro, juvenis, opponitur senibus de civitate bene meritis. — Qui vero Alcibiadem, maternum genus a Coesyra ducentem, hic intelligi suadent, aeris alieni, de quo dicitur, obliviscuntur. — Haud melior mihi placet Elmsleji [4]) sententia, qui Xenophonte teste [5]) Euryptolemum quendam, Pisianactis filium Alcibiadisque ἀνεψιόν, proponat. Sed quid

Noster in Vespis ob aes publicum abalienatum perstrinxerit. Auctor, nescio an, scribens de Lachete, qui tum in Sicilia fuerat (Thuc. III, 86, 90, 115), cogitaverit, sed, ut haec Elmslejo concedamus, illi duci eodem jure adjungamus ceteros Charoeadem (§ 86) Pythodorum, Sophoclem, Eurymedontemque (Thuc. III, 115; Schol. Vespae 240).

1) Occurrit apud Thucydidem IV, 118 Φαίνιππος quidam γραμματεύς, sed jure audacior esset comprobaturus illum eundem esse ac nostrum. — 2) Arist. Ach. v. 603 — 6.

3) Ach. v. 614 — 4) Edit. Ar. Ach. v. 614. — 5) Hist. Gr. I, 4, 19.

opus est multis verbis? Potius ipsi totius familiae stemma [1]) perspiciamus et videamus, num quis nostro sensui congruat.

ALCMAEO.

MEGACLES (Cylonii piaculi auctor).

ALCMAEO (ejus uxor Coesyra).

MEGACLES (Paralorum caput, ejus uxor Agariste, Clisthenis Sicyonii filia. Herod. V, 130).

HIPPOCRATES (Herod. V, 131).	CLISTHENES (maternus Alcibiadis minoris proavus (Isocr. Π. ζευγ. 26) rempublicam ordinavit).

MEGACLES. (ib.)	AGARISTE (uxor Xanthippi; Clisthenis neptis. Plut. Per. 3.)	MEGACLES (ostracismo bis exsul; Alcibiadis avus maternus. Andoc. c. Alc. 130.)

EURYPTOLEMUS	PERICLES	ARIPHRON (Plut. Alc. 1)	PISIANAX	DINOMACHE (Cliniae uxor; Plut. Alc. 1.)
(Magaclis filius, Isodices pater, Cimonis socer; Plut. Cim. 4; Periclis ἀνεψιός, Plut. Per. 7.)	XANTHIPPUS et PARALUS (ambo ante Periclem peste obierunt. Plut. Per. 36.)		EURYPTOLEMUS (Pisian. filius; Xen. Hell. 1, 4, 19 et 1, 7, 12. — Alcibiadis ἀνεψιός ib et Plut. Alc. 32.)	ALCIBIADES (ejus uxor Hipparate, Hipponici filia).
				ALCIBIADES min.

Hinc opinor duos exstitisse Euryptolemos: priorem quidem tempore, quo Pericles ad res publicas accederet, i. e. 35 annis

1) Stemmata, quorum alterum exstat in Dobsonis editione oratorum Att. (Dem. κατὰ Μειδίου, Tom. VII p. 95) et alterum apud Boeckhium (Explic. Pind. Pyth. VII), meo consilio non sufficientia emendavi hoc modo.

ante Acharnenses doctam; alterum vero aetate, qua Alcibiades Athenas reverteretur i. e. 20 fere annis post Acharnenses. Quia autem alteruter aeris alieni, vitae morumque ratione nobis contingat obscurus, atque aetas eorum nostrae fabulae parum conveniat, neutrum nostrae conditioni aptum habeo et cum ipse me nec alium illius familiae quemquam nostrae causae convenientem invenisse confitear, ausim sub non nimis severis judicibus aliam, quae mihi maxime placuerit, sententiam explanare. Equidem non existimo «ὁ Κοισύρας» h. l. esse Coesyrae filium, sed poëtam significare aliquem, qui vel ipse vel cujus mater superba, luxuriosaque atque Coesyrae moribus imbuta sit, pariter atque alibi [1]) dicat: ἔγημα Μεγακλέους τοῦ Μεγακλέους ἀδελφιδῆν ἀγροῖκος ὢν ἐξ ἄστεως σεμνὴν, τρυφῶσαν, ἐγκεκοισυρωμένην. Quae verba scholiasta explicat sic: ὁ πρῶτος οὖν Μεγακλῆς Κοισύρας ἦν υἱὸς, ἥτις ἦν ὑπερβαίνουσα γένει καὶ πλούτῳ· ἦν δὲ ἐξ Ἐρετρίας. διὸ καὶ κοισυρεῖσθαι τὸ μέγα φρονεῖν. Additque ad verbum ἐγκεκοισυρωμένην. Περισσῶς κεκοσμημένην. (ἢ ἔθνος ἡ Κοισυρόπολις ὀνομάζεται, πάνυ αἰσχρὸν καὶ μυσαρόν· ἢ τὰ τῆς Κοισύρας φρονοῦσαν) ἔστι δὲ Ἐρετριακὸν τὸ ὄνομα, οὗτοι δὲ εἰς τρυφὴν διαβάλλονται. αὕτη [2]) δὲ ἐγαμήθη Πεισιστράτῳ ἐπιχειρήσαντι τυραννεῖν — περισσῶς κεκοσμημένην, κεκαλλωπισμένην, ὁμοίως τῇ Κοισύρᾳ. αὕτη δὲ ἦν γυνή τις πάνυ ἑαυτὴν κοσμοῦσα ἱματίοις καὶ τῇ ἄλλῃ διαίτῃ, ὡς τοὺς ὁρῶντας ἐκπλήττεσθαι. — Nolitis quaeso tale quid mirari, nam

1) Nubes. 46 — 48 — 2) Prioris Coesyrae neptis.

ejusmodi exempla offenduntur non rara; quin nonnulla afferam! Sic e. g. Ach. 722 «ἔξεστι καὶ Μεγαρεῦσι καὶ Βοιωτίοις ἐφ' ὧτε πωλεῖν πρὸς ἐμὲ, Λαμάχῳ δὲ μή» dicitur Lamachus de quoque pacis inimico, pariter atque in Εἰρήνῃ v. 304 ἡμέρα μισολάμαχος — dies a Lamacho i. e. bello abhorrens. Eodem modo nuncupantur feminae impudicae — Sthenehoeae [1]), juvenes incorrupti — Bellerophontes [2]), mendicus — Telephus etc. [3]). — Haec fere disputata si mihi largimini, nolitis amplius abnuere nostro quoque loco τὸν Κοισύραν Alcmaeonidarum nullum, sed juvenem quendam luxuriosum arrogantemque significare, praecipue vero ea causa, quod hoc de juvenis indole nomen fictum opponitur senum ex indole fictis quoque nominibus. Nam Μαριλάδης [4]) compositum e «μαρίλη» significat hominem carbonarium, Acharnensem et Πρινίδης virum ilice ad carbones utentem [5]) vel tam robustum atque ilicem [6]). Quae cum ita sint, persuasum mecum habeatis Aristophanem hoc loco perstrinxisse quempiam Coesyrae mores prae se ferentem, qui legationes obierit aereque alieno obrutus sit. Agite nunc, elegatis ex libidine Clisthenem Sibyrtii [7]) filium, Stratonem [8]), sive alium quemquam Vestrae sententiae opportunum!

Reliqui, qui perstringuntur vel laudantur aequales — Ctesias delator [9]), Antimachus [10]), Psacadis filius, qui chorum in-

---

1) Ranae v. 1049 —. 2) Ran. 1051. — 3) Vd. inferius Lacratidem p. 37, 8. — 4) Schol. 609. — 5) Schol. v. 612.

6) Simili sane modo liceret mihi cetera quoque nomina, Dercyllum et Euphoridem interpretari, sed vereor jam modum excedere.

7) Plut. Vita Alcib. p. 194. — 8) Acharn. v. 118 et schol.

9) Ach. v. 839. — 10) Schol. v. 1150 φασὶ γὰρ αὐτὸν

coenatum Lenaeis remisit, Cleonymus [1]) et Ctesiphon pinguis [2]), Prepis [3]) cinaedus, Pauson [4]) pessimus, Lysistratus [5]), Cholargensium [6]) opprobrium, qui plus triginta cujusque mensis diebus alget et esurit, Phayllus [7]) optimus cursor, ὀλυμπιονίκης, denique Lacratides [8]) antiquus archon — sunt omnes nimis ignoti, obscuri et exigui momenti atque a scholiasta minus ac minus diligenter significati, ut jure existimem operae pretium non esse, de iis amplius inquirere.

DE FIDE.

Jam supra admonui omnia in hoc libello tractata nisi unum finem non spectare, fidem auctoris; quum jam poëtae de personis, qui ejus aequales erant, sententias explanaverim in quaestione «de fabulae tempore», hoc loco alia ratione ad eosdem redibo, num dicta de iis sint vera an joci causa excogitata. Trium sunt generum personae Aristophanis comoediae, aliae in scenam prodeunt suo, aliae ficto nomine agentes, tertiae denique obiter tantummodo verbis commemorantur. — Aristophanes

---

γράψαι ψήφισμα, ὥστε τοὺς χοροὺς μηδὲν ἐκ τῶν χορηγῶν λαμβάνειν.

1) Ach. v. 88. — 2) v. 1000. — 3) v. 843. — 4) v. 854.

5) v. 855. — 6) schol.: δῆμος τῆς Ἀττικῆς οἱ Χολαργεῖς τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. — 7) v. 215 et schol.

8) Schol. v. 220. Λακρατίδης ἀρχαῖος ἄρχων Ἀθήνησιν, ὡς καὶ Φιλόχορος. ἦρξε δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Δαρείου, ἐφ' οὗ πλείστη χιὼν ἐγένετο, καὶ ἀπέπηξε πάντα, ὡς μὴ δύνασθαί τινα προϊέναι. διόπερ τὰ ψυχρὰ πάντα Λακρατίδου ἐκάλουν.

priores, non quod odio et ira in eos flagraret [1]), vero nomine in populi conspectum producebat, sed quod reapse erant viri moribus depravati, vel suae aetatis studia palam prae se ferentes, eosque ridebat, mordacique persequebatur odio, etiam ridicula eorum vitia, ut quasi malorum crateres soli totius generis vitia sua persona repraesentarent, augere studebat. Quibus concessis, apparet mihi Lamachus sicuti vigens praecipitis belli studium, Euripides recentiorem tragoediam, tum patheticam ridiculeque syllogisticam referens, Theorus quasi magniloquorum legatorum exemplum, vana auxilia adducens mercedisque causa civitati se praebens, Nicomachus denique ut negotia perturbans, litigator et sycophanta, qualibus sceleribus urbs tum erat impleta.

Alio autem pacto se habent personae ficto nomine agentes, qualis est Dicaeopolis cum familia. Hic cum mane in concionem venerit, solus sedensque in subsellio de suis temporibus quam maxime queritur, valdeque indignatur, quod Amphitheo civi probo et pacem pacturo silentium imponatur, contra legati populum fraudibus ludificantes in prytaneum ad coenam inviteutur. Ira tandem incensus, postquam Amphithei ope pacem cum Lacedaemoniis composuit, ex urbe rus Dionysia cum familia celebraturus exit. Ab Acharnensibus tamen pacis reconciliatae causa exagitatus, supplicis apud Euripidem miserrimi habitu indutus, non Lacedaemonios, sed Megarenses et puellas raptas infausti belli causas esse exponens, oratione eos advocatumque Lama-

1) Nam Lamachum, ut supra dixi, post obitum ut heroem celebrat et Socratem, quocum in Platonis Convivio amicissime colloquitur, in Nubibus ludibrio habet.

chum vincit. Tum foro apud se constituto, ab homine Megarensi et Boeoto, quaecunque sunt, ut anguillas, aves, lepores etc. parvo pretio emit, pace emptisque tranquille fruens, aliis vero petentibus suorum bonorum nihil, novae nuptae soli, quoniam femina, quae belli incommodis adficiatur, indigna sit, parvulas inducias concedit; denique, quo tempore Lamachus contra Boeotos vocatus ad pugnam se accingit, eo Choes celebraturus abit, ac victor bibendi e festo redit, dum ille vulneratus e pugna refertur.

Virum Dicaeopolin excogitavit et docuit noster poëta, ut mihi videtur hanc maxime ob causam, quod sua aetate nemo aequalis in civitate erat, qui paci, quam auctor populo consulit, tam faveret, vel qui tam ex animo de suis temporibus quereretur et tam recte nobis bonum tempus antiquum ejusque morem et rationem referret. Reliqui vero omnes in scenam prodeuntes, ut ejus uxor, filia, Amphitheus, Megarensis, Boeotus, Lamachi famulus, agricola et paranymphi, cum nullam prae se insignem indolem ferant, ac nonnisi Dicaeopolidis vel actionis causa sint ficti, non inveniuntur, quos moremur, nam per se affatim intelliguntur. — Quibus causis adductus videor non errare contendendo, Aristophanis personas non esse singulares, sed singulos totius aetatis vel hominum generis repraesentatores, hoc tantummodo discrimine: vero nomine prodeuntes Aristophanis esse aequales ejusque temporis specimen, ficto contra nomine agentes bonum tempus antiquum sustinere. His duobus hominum generibus duobusque eorum studiis, quorum alteris quidam moti, dum bellum, fraudes concionemque indignantur, pacem contra, rus festaque celebrant, alii autem his omnia contraria agitant, tota

comoediae componitur actio, qua Aristophanes civibus pacem, maximum bonum persuadet [1]).

Alia vero ratione illustrandi sunt Cleon, Tisamenus, Marpsias, Ctesias, Theognis ceterique, quos quamquam obiter tantummodo, nonnunquam ne verbo quidem poëta perstringens commemorat; nihilominus eos censeo fuisse viros, qui tum in republica floruerint, multumque sine dubio valuerint, nam aliter vel sine causa sufficienti pretium non fuisset eorum mentionem facere. Eorum quidem respectu, quam maxima, meo judicio, est auctori fides habenda, nam si quem prorsus ignotum verbis brevibus, ut assolet, deridens perperam effingeret, esset absurdius, quam ut se a civibus intelligi putaret. Quin exemplo utor! Quid sibi vellet Cleon quinque talenta evomens, vel Ctesiphontis uter, vel Thracia ob Theognidis tragoediam doctam nive contecta, nisi revera Cleon quinque talenta civitati reddidisset, Ctesiphon pinguis et Theognis frigidus esset. Haec igitur ob argumenta persuasum habeo, poëtam nunquam sine causa, et veris salibus semper substratis, suos aequales risisse; attamen iterum iterumque consulo e conspectu non esse amittenda haec: poëtam e consulto risisse ipsumque aequalem de aequalibus, e populi praesertim ore notis, judicasse et has ob causas nobis, qui alio utimur consilio et posteriore vivimus aetate, aequius est censendum, non omnes, qui tum in republica essent, fuisse πανούργους;

1) Schol. Ach. v. 52. οὗτος γὰρ ὁ σκοπὸς τοῦ δράματος, ὥστε σπόνδας ποιῆσαι πρὸς Λακεδαιμονίους. Argum. Ach. τὸ δὲ δρᾶμα ἐκ παντὸς τρόπου τὴν εἰρήνην προκαλούμενον.

nonne apud nos quoque de notissimo quoque in civitate viro invida fama detrahit, ac mali quidpiam lubenter circumfert?

Praeter viros, quos ex auctore cognoscimus, vividas tamquam praesentes concionis, festorum, fori etc. imagines licet effingere. — Sic ante oculos nobis spectantibus producit (v. 17—173) κυρίαν ἐκκλησίαν [1]) in pnyce [2]) convocatam, in quam more corrupto, σχοινίον μεμιλτωμένον [3]) fugientes, tarde prytanes [4]) ceterique accurrunt. Praeco deinde, ut intra lustratum cives procedant, adhortatus, «τὶς ἀγορεύειν βούλεται» rogat [5]). Alicui de pace locuturo a prytanibus licto-

1) *Κυρία* hoc loco (v. 19) est dicta concio non Pollucis sensu, qui VIII, 95 τῶν δ᾽ἐκκλησιῶν, inquit, ἡ μὲν κυρία, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονοῦσιν, εἴπερ καλῶς ἄρχουσιν, ἢ ἀποχειροτονοῦσιν· ἐν ᾗ καὶ τὰς εἰςαγγελίας ὁ βουλόμενος εἰςαγγέλλει, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν δημοσιευομένων ἀναγινώσκουσιν οἱ πρὸς ταῖς δίκαις, καὶ τὰς λήξεις τῶν κλήρων, nam legati gesta referentes prodeunt, sed κυρία h. l. commutatur cum νομίμοις, quarum erant quatuor quaque prytania. V. Sch. Aeschin. Beck. p. 231 et Schoemanni antiqu. p. 219.

2) Pollux VIII, 132 ἐνεκλησίαζον δὲ πάλαι μὲν ἐν τῇ Πνυκί. De pnycis situ vd. Forchhammer zur Topographie Athens p. 4 sqq. — 3) Schol. Ach. v. 22 μεμιλτωμένῳ σχοινίῳ περιβάλλοντες αὐτοὺς συνήλαυνον εἰς τὴν ἐκκλησίαν. τοῦτο δὲ ἐποίουν ὑπὲρ τοῦ μὴ βραδῦναι, ὅσοι γὰρ ἐχρίοντο, ζημίαν ἐξέτινον. — 4) Pollux VIII, 96. ὅταν οἱ πρυτάνεις τὸν δῆμον ἢ τὴν βουλὴν συνάγωσιν. — 5) Aeschin. Timarch. § 23. ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ καὶ ὁ κήρυξ τὰς πατρίους

rum [1]) ope silentium imponitur, legati autem fraudulenti a praecone acciti benigna excipiuntur aure, etiam a senatu in prytaneum [2]) vocantur, denique ostento facto, cum gutta de coelo sereno cecidisset, concio solvitur [3]).

Festum deinde (v. 237 — 239), τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια [4]) celebrantes Noster ostendit. Sacrificio verbis αεὐφημεῖτε,

---

εὐχὰς εὔξηται .... Καὶ μετὰ ταῦτα ἐπερωτᾷ ὁ κήρυξ· τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων. Haec lex de quinquagenariis non diu rata habebatur. Vd. Herm. Staats. § 129.

1) Οἱ τοξόται Schol. Ach. v. 54: εἰσὶ δὲ οἱ τοξόται δημόσιοι ὑπηρέται, φύλακες τοῦ ἄστεος, τὸν ἀριθμὸν χίλιοι, οἵτινες πρότερον μὲν ᾤκουν τὴν ἀγορὰν μέσην σκενοποιησάμενοι, ὕστερον δὲ μετέβησαν εἰς Ἄρειον πάγον. ἐκαλοῦντο οὗτοι καὶ Σκύθαι καὶ Πευσίνιοι, Πευσῖνος τινὸς τῶν πάλαι πολιτευομένων συντάξαντος τὰ περὶ αὐτούς. Vd. Boeckh Staatsh. d. A. p. 222. — 2) Pollux IX, 40. πρυτανεῖον καὶ ἑστία τῆς πόλεως, παρ' ᾗ ἐσιτοῦντο, οἵτε κατὰ δημοσίαν πρεσβείαν ἥκοντες καὶ οἱ διὰ πρᾶξίν τινα σιτήσεως ἀξιωθέντες καὶ εἴ τις ἐκ τιμῆς ἀείσιτος ἦν. — Schol. Ach. 125. — Solon Plut. 24. — Wachsmuth I, 2 p. 34. — Herm. Staats. § 127. — 3) Schol. Ach. 171: Παρεφυλάττοντο γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι τὰς τοῦ Διὸς ἡμέρας, καὶ διέλυον τὰς ἐκκλησίας διοσημίας γενομένης. Vd. Grauerti Aratos, in Nieb. Rhein. Mus. I, p. 336. — 4) Celebrabantur Poseideone, sexto mense Attico in Dionysi honorem (Vd. Preller in Pauly's Realencyclopaedie II, 1057 — 71; Barthelemy M. de l'Acad. d. Jnscr. 39. p. 172; Boeckh. Abh. der Berl. Akad. 1816. p. 47; Schneider, das

εὐφημεῖτε» incepto, pompam mittunt ἡ κανηφόρος in canistris omnium primitias gestans, servus phallum tenens et rusticus τὸ φαλλικὸν canens [1]).

Haud multo post alterius etiam festi imaginem oculis nostris auctor (v. 1000 — 1034) subjicit, τῶν Χοῶν [2]) quidem, quos

attische Theaterwesen. Weimar, 1835. p. 34; Fritzsche de Lenaeis Ath. festo comm.; Hermann gottesd. Alt. d. Gr. §. 57; Theophrasti characteres 3 (5): Ποσειδεῶνος δὲ τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια) non modo κατ' ἀγροὺς, sed etiam in urbis regionibus e. g. Aesch. Tim. 157. «πρώην ἐν τοῖς κατ' ἀγροὺς Διονυσίοις κωμῳδῶν ὄντων ἐν Κολλυττῷ» i. e. urbis demo.

1) Plut. cup. divit. § 8. «ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς καὶ ἱλαρῶς, ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κληματίς, εἶτα τράγον τις εἷλκεν, ἄλλος ἰσχάδων ἄῤῥιχον ἠκολούθει κομίζων, ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ φαλλός. — Admittebantur et servi, vd. Plut adv. Epic. § 16. — De phallo Schol. Ach. 243: ξύλον ἐπίμηκες, ἔχον ἐν τῷ ἄκρῳ σκύτινον αἰδοῖον ἐξηρτημένον. — Theodoret cur. Gr. aff. I, p. 722. φαλλαγωγία ἡ τοῦ φαλλοῦ ἑορτὴ, καὶ προσεκύνουν μὲν τοῦτον καὶ κατεφίλουν οἱ ὀργιάζοντες ἅπαντες. — Vd. Photii lex. p. 637. s. v. φαλλικὸν ποίημα. — Haec omnia comoediae initia fuisse tradit Aristot. Poet. IV, 14; vd. Athen. II, 11; Bernhardy Gr. Liter. II, p. 559 sqq. — Negant his festis nova dramata acta esse Boeckhius (Soph. Ant. p. 200) et Fr. Vaterus (Untersuchungen über dramat. Poësie I, p. 10); contendunt contra ea Seidler (ad Antig. p. CXIII) et Schoell (Beiträge zur trag. Poësie I, p. 70). — 2) Celebrari hoc festum tradit scholiasta Pyanepsione (alii vero testes Antheste-

ad celebrandos praeco populum, ut conveniret e congiis potatum ad tubae clangorem calat. Saltatrices [1]) et amiculae festo intersunt, scolium, Harmodius [2]) canitur et ὁ βασιλεὺς [3]) bibendi victori praemium, Ctesiphontis nempe utrem dat.

rione, Anthesteriaque hinc dici) tribusque consistere partibus «Πιθοιγία, Χόες, Χύτροι» atque Χόας esse dictum a Pandione, qui Oresti et singulis convivis, ne cum matricida commiscerentur, singulos χοεῖς apposuit. — Athen. XI, 13 et X, 39. — Num per duos vel tres dies — affatim probari non potest. Schol. Ach. 1076. «ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἄγονται οἱ Χύτροι καὶ οἱ Χόες ἐν Ἀθήναις. — Etym. M. p. 99. Ἀνθεστήρια τὰ Διονύσια, οὕτω γὰρ Ἀθηναῖοι τὴν ἑορτὴν λέγουσι, καὶ Ἀνθεστηριῶνα τὸν μῆνα. — Philoch. ap. Harp. p. 301 «ἤγετο δὲ ἡ ἑορτὴ Ἀνθεστηριῶνος τρίτῃ ἐπὶ δέκα». — Quibus adductus haec a Lenaeis distinguenda esse censeo. Vd. Alciphr. II, 3. Ael. hist. an. IV, 43. — Scenici quoque ludi agebantur quidem, sed erant, ut mihi videtur, nonnisi ad Dionysiā M. praeparatorii. Plut. Vitae X or. » εἰσήνεγκε (Lycurgus) νόμους, τὸν μὲν περὶ τῶν κωμῳδῶν, ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τὸν νικήσαντα ἐς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξὸν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα.

1) Aderant servi quoque. Etym. M. s. v. Ἀνθεστήρια «θύραζε Κᾶρες· οὐκέτ᾽ Ἀνθεστήρια». — 2) Schol. 980 Harmodii initium erat «Φίλταθ᾽ Ἁρμόδι᾽, οὔ τί που τέθνηκας». — 3) Schol. Ach. 1224. — Pollux VIII, 90. «ὁ δὲ βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε, καὶ Ληναίων καὶ ἀγώνων τῶν ἐπὶ λάμπαδι». — Princeps hoc festo erat Archontis βασιλέως uxor, ἡ βασίλισσα, quae cum lectis feminis mystica faciebat sacrificia.

Tum forum (v. 729 — 958) nobis ante oculos proponit amplissimum, in quo versantur ἀγορανόμοι [1]) et advenit Megarensis, qui, quod Athenieses salinas Megaricas [2]) teneant, devastentque allia, et frumentum sibi desit, mysticos [3]) porcos venditum affert, alliorum autem manipulum et salis choenicem [4]) sibi praemium sumit, succurrentem deinde sycophantam denunciaturum pellit Dicaeopolis; postea Boeoti adveniunt, alii, ut Athenis ceu tibicines operam dent, alter in humeris venditum affert herbas, volatilia, quadrupedes atque pisces, ἐγχέλεις Κωπαΐδας [5]), quibus omnibus Boeotia abundabat, forum vero Atticum iis, cum belli tempore nihil vendi liceret, sex per annos jam carebat; sycophantam, iterum denunciaturum Dicaeopolis Boeoto tamquam mercem, qua Boeotia careat, abducendum tradit.

His omnibns, quae dixi, coemtis praeparat Dicaeopolis convivium (1085 — 1142) δεῖπνον ἐκ τῆς κιστίδος [6]) dictum, sumtaque secum cista et congio (χοεύς), quod vas ad bibendum erat quam maximum, ne convivas moretur, festinat [7]).

1) ἀγορανόμοι erant decem numero, quinque in urbe, quinque in Piraeo. Boeckh, Staatsch. d. Ath. p. 52. — 2) Schol. Ach. v. 760: Ἐν Νισαίᾳ τῆς Μεγαρίδος ἅλες πήγνυνται, ἣν δὲ ὁ τόπος ὑπήκοος τῶν Ἀθηναίων.

3) Schol. v. 764. διὰ τὸ ἐν τοῖς μυστηρίοις τῆς Δήμητρος χοίρους θύεσθαι. — 4) Choenice salem metiebantur. Vd. Pollux. X, 169. — 5) Schol. Ach. 880. Κωπαῒς λίμνη ἐν Βοιωτίᾳ, ἐν ῇ ἐγχέλεις πλεῖσται (ἔστι δὲ καὶ πόλις ὁμώνυμος). — 6) Athen. VIII, p. 365 « δηλοῖ τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, ὅταν τις αὐτὸς αὑτῷ σκευάσας δεῖπνον, καὶ συνθεὶς εἰς σπυρίδα παρά τινα δειπνήσων ἴῃ. — 7) v. 1094. — Bono quidem

Hic large coenatus merum exsiccat ἄκρατον et ἄμυστιν uno haustu [1]). Intersunt convivio πόρναι καὶ ὀρχηστρίδες [2]) atque canuntur carmina in Harmodii honorem.

Supersunt quidem duae scenae, agricolae et paranymphorum, pacis aliquid petentium, cum vero in iis nihil, quod nostrum consilium adjuvet, inveniam, nisi hoc, scriptas eas esse, ut, quam grave Athenienses bellum ferrent, iterum demonstrent, longius in iis morari me abstineo.

Hoc loco, postquam omnes scenas, quas modo exposui, in animo diligenter revolutavi, confiteor perspicuas me imagines collectas habere de Dionysiis et Anthesteriis, quum de concione, tum de foro, convivioque et bello. Imo hae res, quas Aristophanes describit, adhibito justo judicio, rectis a falsis separatis et compositis aliorum auctorum testimoniis, uberrimum historiae et antiquitatibus afferunt supplementum. Profecto nemo est, quem sciam, vel quem quis mihi nominet auctorem, qui facetiore scribendi genere tam dilucidam ullius civitatis antiquae imaginem nobis effingat.

---

tempore antiquo ingrati habebantur sero ad coenas accurrentes; (Plut. Quaest. Conv. VIII, 6) Polycharmus, dum οὐδέποτε κληθέντα ἐπὶ δεῖπνον ὕστατον ἀφικέσθαι convivis se praefert, risui exponitur.

1) Ach. v. 1229. ἄκρατον bibere erat barbarorum, vd. Plato Leg. I, p. 637 et Herod. VI, 84. De ἀμυστίζειν Plut. Conv. III, 3. — 2) Ὀρχηστρίδες ἡβυλλιῶσαι κἄρτι παρατετιλμέναι exspectant Bacchum ad convivium in orco (Ar. Ran. 516); saltatrices ad Xenophontis quoque convivium adhibentur, Plato vero eas odio persequitur. Vd. symp. p. 176 et Prot. p. 347.

Sed ante exitum gaudere caveamus! nam jam mihi est transeundum ad comoediae difficillimam judicatu partem, qua aliquid solito longuis et minus recte, ut suspicor, e consilio narratur. Sic bellum Peloponnesiacum contraxisse enarrat (v. 515 — 39) non civitatem, sed homunciones quosdam pessimos et infames, qui, si forte vel allium vel salis micam vel porcellum vidissent, haec, cum Megarica esse clamarent, correpta eodem die venderent; tum adulescentulos quosdam Megara profectos, qui clam Simaetham meretricem raperent, et Megarenses, qui dolore exacerbati duas Aspasiae mulierculas contra essent suffurati, quas quidem ob causas dicitur Pericles ira incensus et fulminans legem tulisse hanc: ut Megarensibus nec in regione Attica, vel in foro, nec in insulis, vel in continenti manere liceret, tum vero ait poëta Megarenses esurientes ad Lacedaemonios accurrisse et hinc armorum strepitum bellumque universis Graecis ortum esse.

Megarenses revera contra jus commune a foris et portubus arctos bellum movisse affirmat testimonium Plutarchi hoc: *Χαλεπαίνουσι δὲ τοῖς Κορινθίοις καὶ κατηγοροῦσι τῶν Ἀθηναίων ἐν Λακεδαίμονι προςεγένοντο Μεγαρεῖς αἰτιώμενοι πάσης μὲν ἀγορᾶς, πάντων δὲ λιμένων, ὧν Ἀθηναῖοι κρατοῦσιν, εἴργεσθαι καὶ ἀπελαύνεσθαι παρὰ τὰ κοινὰ δίκαια καὶ τοὺς γεγενημένους ὅρκους τοῖς Ἕλλησιν* [1]); nec minus gravis est Thucydidis [2]) auctoritas «*τὸ περὶ Μεγαρέων ψήφισμα ... ἐν ᾧ εἴρετο αὐτοὺς μὴ χρῆσθαι τοῖς λιμέσι τοῖς ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀρχῇ μηδὲ τῇ Ἀττικῇ ἀγορᾷ*». — Praeterea in Megarenses privatum etiam quoddam Periclis odium publicis Atheniensium inimicitiis

1) Pericles XXIX, 5. — 2) Hist. I, 139.

subfuisse constat e Plutarchi [1]) verbis «Ὑπῆν μὲν οὖν τις, ὡς ἔοικεν, αὐτῷ καὶ ἰδία πρὸς τοὺς Μεγαρεῖς ἀπέχθεια· κοινὴν δὲ καὶ φανερὰν ποιησάμενος αἰτίαν κατ᾽ αὐτῶν ἀποτέμνεσθαι τὴν ἱερὰν ὀργάδα, γράφει ψήφισμα». Quamquam et Helena belli Trojani, raptaeque virgines primi Romani causae erant, nec raro nostra etiam aetate feminae arma movebant, pugnasque infaustas excitabant, tamen tale quid hoc loco ratum arbitrari irritum mihi videtur [2]). Nam longe occultiores [3]) et graviores causae erant ejus belli, quod acerrime per viginti septem annos gestum totam Graeciam, insulas alienasque nationes concutiebat ac nonnisi Athenarum obitu compositum est; non tres enim meretriculae illud bellum commiserant, sed de principatu fuit hoc certamen maximum. Rationes vero, quae Nostrum, ut narratiunculam fingeret, duxerunt, mihi videntur simplices hae: una, quod sibi videbatur poëta licentius agere posse, altera, quod in votis habebat comoediae ope bellum ridendo odiosum reddi pacemque laudari. Haec si mecum existimetis, censeamus longioribus Aristophanis narrationibus inesse veri aliquid, sed idem auctoris ingenio exornatum e consilio esse ridicule relatum, nec cuidam, arbitrio recto gaudenti difficile erit, ibi ficta a gestis discernere.

Multae sunt praeterea res, quas poëta non ridendi causa, sed subito orationis cursu commemorat, quaeque suo loco adhibitae non parvum historiae, geographiae et antiquitatibus supplementum afferunt.

---

1) Pericles XXX, 2. — 2) Thucyd. Hist. I, 23, 55, 66.

3) Plutarchus (de Herod. mal. VI) idem mecum arbitratur.

Sic e versibus 219 et 220 «ἐπειδὴ στερρὸν ἤδη τοὐμὸν ἀντικνήμιον καὶ παλαιῷ Λακρατείδῃ τὸ σκέλος βαρύνεται», quos Acharnensium chorus refert, licet nobis scholiasta adjuncto colligere, Lacratidem [1]) antiquo tempore, hieme frigida, archontem fuisse et h. o. c. quaeque antiqua et frigida eo ipso significari. — Docent versus 176 sqq. et 324 sqq., Acharnenses [2]) fuisse populum terrae Atticae fortissimum et magnum, qui olim Marathone pugnaverit, (Μαραθωνομάχαι v. 181) cujusque fuerit carbones coquere [3]); versus deinde 273 — Φελλέα [4]) locum in Attica fuisse lignosum; versus 1023 — Φυλήν [5]) pagum Atticum; versus 1028 — Φυλάσιον ejus incolam; versus 406 — Χολλείδην [6]) Cholae δήμου incolam nuncupari, versus 348 — ἄνθρακας Παρνηθίους dici ἀπὸ Πάρνηθος τοῦ ὄρεος τῆς Ἀττικῆς [7]). Elucet e versu 146 «ἦρα φαγεῖν ἀλλᾶντας ἐξ Ἀπατουρίων», festum Athenis celebratum esse τὰ Ἀπατούρια, quo edebant isicium, nomenque ejus oriri ἀπὸ τοῦ ἀπατᾷν i. e. fallere [8]). — Advocatur v. 284 Ἡρα-

1) Ceterum ignotus. Schol. «ἐπὶ τῶν χρόνων Δαρείου cf. p. 37. — 2) Thucyd. II, 19. — 3) Schol. 326 ἀνθρακεῦσαι. — 4) Schol.: ὄρος, πετρώδης τόπος.

5) Schol.: Μένανδρος Δυσκόλῳ «τῆς Ἀττικῆς νομίζετ' εἶναι τὸν τόπον Φυλήν». — 6) Schol. δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. — 7) Vd. schol. — 8) Schol. ad hunc locum enarrat Xanthi Boeoti et Melanthi certamen, hujusque fraudem et victoriam (Strabo IX, 1); explicatque commentario, hoc festum Pyanepsione mense (Theophr. char. 3) per tres dies agi, primo enim «δορπεία» dicto (Poll. VI, 102) φράτορας precatum convenire, altero s. d. ἀνάρρυσις Jovi

κλῆς ut ἀλεξίκακος [7]); v. 682 Ποσειδῶν ἀσφάλειος [1]), qui tridente, sicuti ipsi senes Acharnenses baculo, utitur; jurat Boeotus v. 905 «ναὶ τὼ σιώ», qui, nisi fallor, sunt Amphion et Zetheus; Megarensis contra (v. 774) «Ναὶ τὸν Διοκλέα» i. e. per Dioclem heroem [3]).

Docet porro versus 747, χοιρία dici μυστηρικά, quia Cereri sacra ab initiandis fierent; θύσιμος quidem χοῖρος statuitur (v. 784), qui caudam haberet, Veneri autem (v. 793) nunquam sacrificaretur [4]). — Antiqui, ut patet e versu 84, τὴν πανσέληνον, ad aliquid gravius suscipiendum e more exspectabant [5]). — Multa de rebus militaribus, quae in hoc dramate colligere licet, quaeque ad expeditionem navalem (v. 544 — 55)

φρατρίᾳ et Athenae sacrificia fieri, tertio denique «κουρεῶτις» pueros et puellas in phratriam inscribi (Xenoph. Hell. I, 7, 8). — Vd. Müller Prolegg. p. 401 et Meier de gentil. Att. p. 11 — 14.

1) Die Mythol. der Gr. von Heffter, p. 302. — 2) Ibid. p. 427.

3) Schol. Dioclis in honorem Διόκλεια celebrabantur Theocr. XII, 27:

> Νισαῖοι Μεγαρῆες ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς,
> ὄλβιοι, οἰκείητε τὸν Ἀττικὸν, ὡς περὶ ἄλλων
> ξείνων τιμήσασθε Διοκλέα τὸν φιλόπαιδα.

4) Eundem morem probant et Aesopus (fab. 230) et Pausanias II, 10, 4. «τῶν δὲ ἱερείων τοὺς μηροὺς θύουσι πλὴν ὑῶν» nam sus erat Veneri ob Adonim perditum valde odiosa, nihilominus refert Athen. III, p. 96 «Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗς θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια. — 5) Herod. VI, 106.

obeundam spectant, sunt haec: naves a litore deduci, praefectos triremium legi [1]), stipendia distribui [2]), Palladia auro obduci [3]), concurrere populum in porticum [4]), ubi frumenta metirentur, curam habere, qui navalia exornarent [5]), de utribus, scalmorum loris, cadis, alliis, olivis, cepis, coronis, sardinis, tibicinis [6]); deinde de lignis ad remos fabricandos aptis, clavis, coriis foramina, per quae remi exsererentur, munientibus, tibiis, fistulis et sibilis.

1) Xenoph. Ath. Rep. III, 4: καὶ τριήραρχοι καθίστανται τετρακόσιοι ἑκάστου ἐνιαυτοῦ; Demosthenis vero tempore legebantur trierarchi non prius, quam quo jam naves essent mittendae. Phil. I, 50, 20. — Boeckh. Staatsh. II, p. 80 sqq. — 2) Initio belli Peloponnesiaci Thucydide teste stipendia duae drachmae, III, 17: τὴν Ποτίδαιαν δίδραχμοι ὁπλῖται ἐφρούρουν· νῆές τε αἱ πᾶσαι τὸν αὐτὸν μισθὸν ἔφερον· — E Demosthenis Phil. I, 48 computatione «εἴκοσιν εἰς τὴν ναῦν μναῖ τοῦ μηνὸς ἑκάστου» elucet, cuique ducentorum in navi militantium bines in diem abolos pendi. — 3) Παλλάδιον, Minervae simulacrum, ἐν ταῖς πρῴραις (schol.) figebatur (Diod. Sic. IV, 47), quamquam quid apud Euripidem contrarii probatur. Iphig. in Aul. v. 275 κατειδόμαν πρύμνας σῆμα et v. 238.

4) Dem. adv. Phormionem 918 «ἐν τῷ Ὠιδείῳ, ἐν τῷ Πειραιεῖ, καὶ ἐπὶ τῆς μακρᾶς στοᾶς τὰ ἄλφιτα.

5) τριήραρχοι, qui vocantur, pecunia ad exornandam navem exaerario publico sumta (Dem. de cor. trier. 1231: ὧν τριάκοντα μνᾶς εἰς ἐπίπλουν εἴληφε ἕκαστος) in necessaria impensam faciebant expeditionemque comitantes militibus μισθὸν vel σιτηρέσιον pendebant. — 6) De tibiis in expeditione navali et fistulis legisse non memini, tuba scilicet signum indicatur ap. Thuc. VI, 32.

In pugnam proditurus praetor (v. 1074 — 1141) colligit τοὺς λόχους [1], armat se clypeo, galea cristata, hasta, clypei fulcris [2], lorica et τῷ γυλιῷ [3], secumque sumit sportam, salem, cepas et salsamentum. Jam exeuntes commeatum, in tres dies paratum, secum gestasse discimus e versu 197 «ἐπιτηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν» [4].

De rebus domesticis ex hoc dramate comperimus τὸν κότταβον [5] (v. 525) fuisse ludum inter sodales bibentes. — Noster omnium primus ὕλινον poculum commemorat v. 73 «ἐπίνομεν ἐξ ὑαλίνων ἐκπωμάτων καὶ χρυσίδων ἄκρατον οἶνον ἡδύν»; nam qui apud Herodotum III, 24 legitur ὕαλος non vitrum significat, sed salem quendam in Aethiopia fossum; vitrum autem, quod si noverit, nomine λίθου, ut

---

1) Scholiasta teste v. 1074 consistebat λόχος e viris octo vel duodecim vel sedecim, ejusque dux λοχαγός, προστάτης v. ἡγεμών nominabatur. — 2) Schol. 1122: κιλλίβαντες τρισκελῆ ἐστί τινα ξύλα, ἐφ' ὧν τιθέασι τὰς ἀσπίδας διαναπαυόμενοι, ἐπειδὰν κάμωσι πολεμοῦντες. — 3) Schol. 1097: γυλιός, σπυριδῶδες πλέγμα, ἐν ᾧ τὰς τροφὰς ἔχοντες οἱ στρατιῶται ἐβάδιζον ἐπὶ πόλεμον. — 4) Thucyd. I, 48: λαβόντες τριῶν ἡμερῶν σιτία ἀνήγοντο. — 5) Schol. Ar. in Pacem v. 1244; Athen. p. 666 sq.; Pollux VI, 109; Charikles, Bilder altgriechischer Sitte zur genauern Kenntniss des griechischen Privatlebens von W. A. Becker. 1840. P. I, p. 447. — Κότταβος erat duplicis generis: a) κότταβος καταχτός consistebat e palo (χάραξ), jugo (ζυγός) et lancibus duabus (πλάστιγγες), quarum altera vino e longinquo injecto, in inferius stantem Μάνην demissa, sonum ede-

opinor, explicatum esse voluit [1]). Noster igitur poëta vitrum aureis poculis anteponendum esse maximi existimabat. — Versu 1023 objurgat Dicaeopolis agricolam «ὦ τρισκακοδαίμων, εἶτα λευκὸν ἀμπέχει», nam more bono pro se quisque mortem lugendi vel res adversas moerendi causa nigras gestabat vestes [2]). — Adjutus versu 1029 — 30 «Γ. ὑπάλειψον τὠφθαλμώ... Δ. οὐ δημοσιεύων τυγχάνω» mihi videor enucleare quire Athenis medicos fuisse publicos, qui gratis medicamenta distribuerent [3]), quosque discipuli vel adjutores sequi solerent, ut elucet e versu 1032 «κλάε πρὸς τοὺς Πιττάλου» [4]).

Haec omnia, de quibus hucusque sub communi rerum obiter commemoratarum nomine commentatus sum, eandem fidem

---

bat, id quod faustum amoris signum credebatur. *b*) Κ. δι' ὀξυβάφων erat vas majus (λεκάνη), aqua impletum, in quo minora natabant vasa (ὀξύβαφα), quae convivae injiciendo vino demergere studebant. — Κοτταβίζειν est συμπίνειν et τὸ ἀπὸ τοῦ ποτηρίου τὸ ὑπολειπόμενον πόμα ἐξαίρειν. Vd. Etym. M. s. h. v.

1) Herod. II, 69 ἀρτήματα λίθινα χυτὰ καὶ χρύσεα.

2) E. g. Lysias. Or. c. Agoratum «μέλαν τε ἱμάτιον ἠμφιεσμένη, ὡς εἰκὸς ἦν ἐπὶ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς τοιαύτῃ συμφορᾷ κεχρημένῳ. — 3) Plat. Polit. p. 259 εἰ τῷ τις δημοσιευόντων ἰατρῶν ἱκανὸς συμβουλεύειν, ἰδιωτεύων αὐτός. Plat. Gorg. p. 350 et Xen. Mem. IV, 2, 5.; Herod. III, 131; Strabo IV, 1, 291. — 4) Schol. ad hunc versum «ὁ Πίτταλος οὗτος ἰατρὸς παρὰ Ἀθηναίοις, λείπει δὲ τό: μαθητάς; quos exercebant in ἰατρείοις v. ἐργαστηρίοις. Aesch. in Tim. 6, 17 et 6, 28. Plato Legg. I, p. 648.

prae se ferunt ac personae obiter breviterque perstrictae, nam utrasque, postquam auctor paucis tantummodo verbis adnotavit, non modo non mutilavit, sed potius a falso abhorrens, ut melius intelligeretur, verisimillimas nobis tradidit, imo jocando docuit.

Hic mea in disputatione quamvis subsistere possim, quoniam et personas et res affatim mea sententia explicui, nihilo minus tamen mihi superesse putaverim causam pertractaturo, aliquam comoediae partem - parabasin, ad quam etiam animum nostrum advertere operae erit. In ea poëta quamquam jocans, severior tamen ex animo suo cum populo colloquitur, illic enim autumat se multarum rerum bonarum esse auctorem, qua opera sit factum, ut Athenienses neque nimio plus adulatoribus delectarentur, nec remisse rempublicam administrarent. Tum civibus litium cupiditate obprobata, suaque gloria, quae late differretur, satis commendata, coepit de machinis odiosis in se structis, quippe qui bene cum patria faceret, optimo jure queri. In universum hac in comoediae parte auctor minus ridet, nullumque cachinnum movet, sed invehitur potius justo furore injustos in cives, seque ipsum, ne jocis suis irasci velint, longius defendit et hanc ob causam videtur mihi Aristophanes in parabasi non tantae virtutis poeticae, quantae eloquentiae orator cives ad καλὸν κἀγαθὸν adhortando. Haec fere sunt, quae me parabasi magnam prae aliis fidem habere commoveant.

Nunc demum ad metam accurrentes, quaedam, ut de fide, quae nostro poetae sit habenda, rectum justumque judicium eloquamur, in memoriam nobis revocabimus. Effici vero non potest,

ut totam causam uno verbo aut affirmaturi aut negaturi dirimamus, nam suam quaeque res singulae prae se ferunt rationem, aliaque alio modo sunt dijudicanda.

In hac enim comoedia personae, quae suis nominibus agunt, atque in scenam ipsi prodeunt, cum non solum se ipsos suamque indolem illuc referant, sed totius tum vigentis studii vel totius hominum generis magis pravum quam rectum ingenium repraesentent, nonnisi cautissime, universis a propriis discretis sunt expendendae. — Dissimiles vero iis sunt personae ficto nomine agentes, nam quamque etiam sunt, ut priores homines, ut sic dicam, generis communis, tamen cum non sui, sed probioris temporis antiqui studia revocare conentur, habemus ex iis bonos mores antiquos esse discendos. — Quos vero Noster ridet aequales, jure ludit, aliter enim, ut jam supra dixi, a civibus intelligi non potuisset, atque mea certe sententia absurdum evaderet ridere in aliquo aliquid, quod ei non inesset, nec jocus hic existimaretur, sed calumnia. — Pro scenis, quas auctor e vita quotidiana in theatrum ante oculos posuit, repeto equidem gratias ei, quam maximas possum, nam nullibi, nec cuiquam alius rerum generis auctori, tam vividae imaginis describendae fiebat potestas. Et dum scenae, quas supra exposui, aliorum auctorum testimoniis nisae nullum in animis dubium relinquunt, fidem iis censeo absolutam tribui posse. — Minus autem rebus gestis, longius ab auctore narratis, confido, propterea quod e dramatis consilio compositae de industria finguntur, ideoque iis, quamquam et sint vera substrata, tamen, quia omnibus aliorum auctorum testimoniis carent, fiduciam recusare mihi non nefas habetur. — Quae insuper e rebus publicis, sacris, domes-

ticis brevius commemorantur, etiam parabasis dramatisque consilium, haec omnia, inquam, haud risus causa dicta, fidei accedunt proxima. Sic, ut ad propositum, unde exorsus sum, redeam, si placuerit nunquam e conspectu amittere, Aristophanem fuisse poëtam vatibusque inserendum, deinde merito nonnunquam, ut multitudinis risum captaret, jocos agitasse, denique fontem sibi famam vel populi vocem sumsisse, licitum erit cuique, qui vera quaerat, ejus comoediis de civitatis statu, rebus publicis et privatis atque de virorum ingenio, sicuti locupletissimis historiae testibus uti.

Εἰ δέ τινα ἐλλείπει, παρακαλῶ, μὴ πάντων ὁμοῦ, τούτων εἵνεκα καταγνῶναι, ἀλλ' ἐκ τῶν εὖ εἰρημένων τὸ κέρδος κομίσασθαι.

Theod. Gr. aff. cura disp. I, p. 692.

THESES.

I.

Cleon adversus Aristophanem, neutiquam adversus Callistratum lites intendit.

II.

Ex Aristophanis comoediis legendis facilius, quam e rerum gestarum scriptoribus vel oratoribus, antiquitates graecas discere licet.

III.

Aristophanis personae singulos quidem certos homines produnt, sed universas generis humani indoles repraesentant.

IV.

Ὁ Κοισύρας (Ar. Ach. 614) Alcmaeonidarum nullum, sed juvenem quendam luxuriosum arrogantemque significat.

V.

Thucydidis historiae tribus diversis temporibus sunt perscriptae.

VI.

Homeri Iliadis versus B. 557:

«*Στῆσε δ᾽ ἄγων, ἵν᾽ Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες*» — a Solone vel Pisistrato est insertus.

VII.

Niebuhri sententia, decemviros lectos esse, qui perpetui consulum et tribunorum locum occuparent, nullo pacto probari potest.

VIII.

Prooemium, quod in decima Horatii satira libri prioris exstat, auctori ipsi vindicandum, et grammaticus ille, equitum doctissimus (v. 8), Celsus Albinovanus (Ep. I, 3, 15 et I, 8) esse mihi videtur.

IX.

Hermeneutica est philologiae princeps.